





PHARMACOPOEA GERMANIAE.



Waisenhaus Apotheke

MDCCCLXV.

SUMPTIBUS EDITORUM.

IN LIBRARIA CREUTZ (R. KRETSCHMANN) MAGDEBURGI.

HALIS SAXONUM

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

VERSIO IN GERMANICUM SERMONEM PERMISSA NON EST.

PRAEFATIO.

Pharmacopoeae per totam Germaniam usurpandae editionem, diu desideratam, nostra aetate crescente in dies commeatu inter varias patriae gentes plane necessariam factam esse, quum dudum omnes adeo consentiant, ut singulis documentis allatis id probare opus non sit, jam pridem pharmacopolae, utpote quorum hoc maxime intersit, et supremum Germaniae foederatae consilium et singularum civitatum rectores iterum atque iterum adierunt rogationibus, ut illud opus perficiendum curarent. Sed frustra. Post irritos complures societatis pharmacopolarum Germanicorum et singulorum conatus tandem Prof. Dr. Walz, pharmacopola egregius, cujus immatura morte omnes dolent artis socii, in communi pharmacopolarum Germanicorum concione a. MDCCCLXI Coburgi habita rogavit, ut certus crearetur virorum numerus pharmacopoeae Germanicae conscribendae, quorum opus perfectum singularum civitatum rectoribus recipiendum offerretur. Cui operi

*

ab aliis inchoato, ab aliis continuato, postremo a nobis, quorum nomina huic praefationi subscripta sunt, mandatu sociorum absoluto pauca quaedam praemittenda videntur.

Atque si quis miretur, quod nos pharmocopolae hoc pharmacopoeae edendae munus suscepimus: fecimus non quo singulatim praescribere velimus, quid in quaque civitate habendum sit, quid non; hoc enim singularum civitatum arbitrio et administrationi committimus; sed ut exempli causa indicem exhibeamus remediorum in unaquaque officina habendorum. At quaestiones, quid omnino praescribatur, qualitates, praecepta non minus nostri pharmacopolarum judicii esse censuimus, quam ullius alius hominis. Immo ea ipsa re, quod nisi pharmacopolas neminem nobis adjunximus, cautum esse nobis persuasum est, ne ulla ratione schola, quam dicunt, pharmacopoea afficiatur et tangatur.

In eligendis rebus hanc rationem secuti sumus: omnia recepimus, quaecunque tota Germania non nimis raro usitata sunt. In his nonnulla accuratiore doctrina rejecta; quamdiu enim haec a medicis crebro desiderantur, etiam in pharmacopoeam recipienda sunt. Sed e formulis magistralibus vel remediis Galenicis, quae dicuntur,

quum medicis fortasse nonnullis commoda sint, sed docte defendi non possint, ea modo recepimus, quae vulgo usitata in omnibus fere pharmacopoeis occurrunt. Tamen erunt, quibus index remediorum receptorum justo longior videatur: sed hujus rei arbitrium eo minus unius cujuslibet existimationi committere possumus, quum nunquam a nobis decretum sit nisi diligentissime excussis postulatis uniuscujusque e nobis per totam Germaniam passim habitantibus. Recentiorum remediorum ea, quae satis examinata videbantur, recepta esse e libro apparebit.

In singulis remediis tractandis, quum censeamus in pharmacopoea non doctrinam, sed leges proponendas esse, omnibus omissis, quae ad illam modo pertinent, tamen describendi et examinandi accuratiorem habuimus rationem, non ignorantes, saepe eorum esse dignoscere et examinare, quibus non comparata scientia pharmacopolae necessaria ad unum pharmacopoeae auxilium recurrendum sit. Itaque, quod in plerisque pharmocopoeis deest, sed nobis gravissimi videtur momenti, omnibus quoque chemicalibus unam aliamve reactionem addidimus, qua dignoscatur, utrum corpus quaesitum in manibus sit necne. Eandem rationem secuti sumus in mercibus descri-

bendis, ita ut signa ad unamquamque rem cognoscendam necessaria indicata sint, omnibus omissis, quae ad systema tantum pertinent. Hoc loco commemorandum est, omnia remedia, quorum status non expresso verbo „recens" indicatus est, in statu siccato intelligenda esse. In tractatione praeparatorum describenda tantum dedisse putamus, quantum unicuique pharmacopolae laboranti sufficiat. Articulos de extractis, oleis, syrupis, tincturis eo in multo brevius spatium contraximus, quod quaedam in universum monenda separatim praemisimus.

Ad chemicalia ea praecepta dedimus, quae nobis optima vel facillima videbantur, non nescii, hanc nostram rationem, ut in re dubia et multis semper controversiis agitata in varias reprehensiones incursuram esse. Quod vero in compluribus praeceptis quum alias pharmacopoeas tum novissimam Borussicam ad verba secuti sumus, non timemus ne opprobrio nobis ducatur. Ubicunque discessimus, ea recepimus praecepta, quae diligentissime perquirentibus nobis probatissima videbantur. Erunt fortasse multi, qui nos maxima vituperatione dignos existiment eam ob rem, quod ad multa extracta, tincturas caet. praecepta nova et a veteribus discrepantia dedimus; sed hac

potissimum in re nobis elaborandum esse censuimus, ut ex singularum pharmacopoearum praeceptis, miro saepe modo inter se differentibus, quantum fieri possit unum efficiamus, quod omnibus satisfaciat.

In numeris significandis, qua in re consentire imprimis necessarium est, systema vulgo receptum secuti sumus; eadem de causa, certis ponderum systematis neglectis, proportiones significavimus apposito numero partium, scilicet pensarum, cujus rationis utilitas, nunc nondum satis conspicua, tum demum apparebit, quum systema ponderum decempartitum, i. e. grammatum vulgo receptum erit. Quod serius ocius factum iri sperantes et confidentes, ubicunque certum pondus, imprimis dosium maximarum, indicare necesse erat, grammata numeravimus. Alio ponderum systemate, ut Austriaco, quadrante majore, aut ceteris non minus inaequalibus uti non potuimus. Eodem modo mensura longitudinis secundum systema decempartitum i. e. metrorum definita est. Thermometro usi sumus centum partium s. Celsii. Pondera specifica in temperatura + 15° ejusdem statuta sunt.

In nominibus pauca tantum mutata sunt. Nomina manifesto falsa veris erant mutanda,

pharmacopoea enim, quum aequalium, non majorum ad usum destinata sit, accuratiorem rerum naturalium cognitionem, ad quam hodie perventum est, negligere non licet. Ceterum censemus, propriam nomenclaturam pharmaceuticam necessariam semper fuisse et futuram esse. Nam uti Cantharides, Cortex Chinae semper sic dicentur, ita Aerugo, Lithargyrum, Minium non potuerunt damnari, ita etiam Liquor suam obtinet notionem pharmaceuticam vulgari versione neglecta. At nomina usui certorum autorum desumpta vitavimus. Pharmacopolae quaerenti nullo subsidio opus erit; in ceterorum usum indicem synonymorum addidimus non perfectum illum quidem et expletum, sed satis copiosum et qui omissis modo quibusdam adjectivis variisque numeri singularis et pluralis formis et aliis consonis sufficiet.

Latine conscripsimus pharmacopoeam, plurimorum hujus generis librorum exemplum secuti, et quia latina artis vocabula ab omnibus non solum patriae sed omnium nationum eruditis intelliguntur et propter usum pervulgatum et sancitum receptorum latine scribendorum. Qua quidem in re nos excusatos fore speramus, si in vocabulis formisque, ut harum rerum neque

studiosi neque nimis curiosi, hoc illudve non satis latine dixerimus.

Adjectae sunt operi solitae pharmacopoearum appendices, copiosa ponderum et mensurarum longitudinis tabula, index dosium maximarum, quas medico praescribenti nisi addito ! excedere non licet, medicamentorum secludendorum et separandorum, ita ut nihil obstet, quominus haec pharmacopoea in vulgarem cujusque civitatis usum publice recipiatur. Quod nostrum opus ut placeat sapientibus rerum publicarum moderatoribus summopere optamus, quibus velimus persuasum sit, et editionem pharmacopoeae per totam Germaniam valentis exoptatissimam esse maximeque necessariam, et non sine causa nos pharmacopolas, ad quos haec res imprimis pertinet, privatim hoc munus suscepisse, quod publice aut omnino non aut difficillime ad finem perductum esset.

Denique gratias agimus omnibus, qui in opere nostro perficiendo consiliis nos adjuverunt.

Eos, qui hunc librum in judicium vocabunt, hortamur, ut finem nostrum memoria teneant: propositum nobis est, ex decem quae in usu sunt pharmacopoeis unam efficere et ea solum praecepta recipere, quae non solum optima et soli-

dissima medicamenta praebeant, sed etiam ita facilia sint et dilucida, ut unusquisque pharmacopola accurate ea sequi possit. In hanc rem imprimis intenti si quid magis minusve necessarium omisimus, id iterata libri editione facile adjici poterit. Denique omnes futuros hujus libri judices oramus, ut rationem habeant difficultatum fere incredibilium, quae longis inter singulorum autorum domicilia intervallis absolutae operis perfectioni objiciebantur.

Mense Augusto MDCCCLXV.

Delegati societatis pharmacopolarum Germaniae septentrionalis:

Dr. O. Berg. (Berolinensis.) **W. Danckwortt.** (Magdeburgensis.) **Hildebrand.** (Hannoveranus.)

Dr. Mirus. (Jenensis.)

Germaniae meridionalis:

Mich. Pettenkofer. (Monacensis.) **Dr. Rieckher.** (Marbacensis.) **Wolfrum.** (Augsburgensis.)

Austriae:

Dr. Daubrawa. (Moravio-Neustadensis.) **Dr. v. Würth.** (Viennensis.)

Acetum aromaticum.

R. **Foliorum Rosmarini,** 4
Foliorum Salviae, ... 4
Foliorum Menthae piperitae, singulorum
partes quatuor, 4
Caryophyllorum, ... 1
Rhizomatis Zedoariae, ... 1
Radicis Angelicae, singulorum . . *partem unam.* 1

Concisas et contusas macera cum
Aceti crudi . . . *partibus centum quinquaginta* 150
per dies quatuor in vase clauso saepius agitando, tum exprime, filtra et adde
Spiritus Rosmarini . . . . *partes sex.* . 6
In vasis bene obturatis servetur.

Sit limpidum, coloris e rubro fusci.

Acetum crudum.

Oxydatione sensim facta spiritus valde diluti obtinetur.

Liquor limpidus, coloris expers aut paullum subflavi, odoris et saporis pure acidi, tantum acidi continens, ut partes viginti sufficiant ad partem unam natri carbonici anhydri saturandam; continet igitur in 100 partibus fere 5 partes acidi acetici anhydri.

Ammonio caustico neutralisatum ferro sesquichlorato colorem rubrum induat; aqua hydrosulphurata ne, paullum baryo chlorato et argento nitrico turbetur.

Acetum purum.

R. **Acidi acetici diluti** . . . . *partem unam,* 1
Aquae destillatae . . . . *partes quatuor.* 4
Misce.

Liquor limpidus, coloris expers, saporis et odoris pure acidi, tantum acidi continens, ut partes viginti sufficiant ad partem unam natri carbonici anhydri saturandam. Contra reagentia uti acidum aceticum dilutum se gerens.

Acetum pyrolignosum crudum.

Praeparatum destillationis siccae lignorum variorum, praecipue duriorum.

Liquor subfuscus vel fuscus, odore empyreumatico, acidum aceticum, nec non kreosotum aliaque producta destillationis siccae continens. Partes viginti sufficiant ad perfectam saturationem natri carbonici anhydri partis unius.

Acetum pyrolignosum rectificatum.

Acetum pyrolignosum crudum retortae vitreae immissum leni igne adhibito destillet, donec, primo transeunte rejecto, tres quadrantes eliciti fuerint.

Sit limpidum, subflavum, empyreumaticum, contineat eandem quantitatem acidi acetici uti acetum pyrolignosum crudum.

Solutio diluta baryo chlorato, argento nitrico et aqua hydrosulphurata ne turbetur.

Acetum Rubi Idaei.

R. **Syrupi Rubi Idaei** . . . . *partem unam,* 1
Aceti puri . . . . *partes duas.* . 2
Misce, si requiritur, ex tempore.

Acetum Scillae.

R. **Bulbi Scillae** . . . . *partem unam.* 1
Minutim scissa maceretur per triduum in
Aceti puri . . . . *partibus decem* 10
et saepius agitentur. Post expressionem lenem filtra et in vase bene clauso serva.

Sit limpidum et flavum.

Acidum aceticum aromaticum.

R. **Olei Caryophyllorum** . . . . . . *partes novem,* 9
Olei Lavandulae, ... 6
Olei Citri, singulorum . . . . . *partes sex,* . 6
Olei Bergamottae, ... 3
Olei Thymi, singulorum . . . . . *partes tres,* . 3
Olei Cinnamomi Cassiae . . . . . *partem unam,* 1
solve in **Acidi acetici** . . . *partibus viginti quatuor.* 24

Sit liquor limpidus, coloris e flavo subfusci.

Acidum aceticum concentratum.

R. **Natri acetici crudi** . . . . . . *partes viginti,* 20
ad perfectam siccitatem igne fortiori evaporentur et contritae adhuc fervidae retortae tubulatae immittantur, qua calefacta
Acidi sulphurici crudi . . . . . . *partes sedecim* 16
sensim infundantur, cura adhibita, ut sal aequaliter acido humectetur, tum calore leni destillatio fiat, donec circiter

septem usque ad *octo partes* transierint. Destillato *tantum* **Kali bichromici** pulverati addatur, ut agitatione saepius repetita flavum appareat, tum supra

Natri acetici crudi sicci . . . . *partes duas* . 2

rectificetur. Quae prima transierint, rejiciantur, donec decem destillati partes unam olei citri partem solvant. Pondus specificum sit = 1,068.

Sit limpidum, coloris expers, odoris pungentis acetici; aqua dilutum guttis nonnullis liquoris ferri sesquichlorati colore rubro tingatur, baryo chlorato, argento nitrico, et aqua hydrosulphurata ne turbetur, additis guttis nonnullis liquoris kali bichromici ne colore viridi tingatur.

In vitris epistomiis vitreis clausis servetur.

Acidum aceticum dilutum.

R. **Natri acetici crudi** . . . . . . *partes decem,* **10**

in retortam immittantur et

Acidi sulphurici crudi . . . . . *partibus octo* 8

admissis fiat destillatio donec *partes novem* transierint.

Destillato, si acidum sulphuricum vel hydrochloratum continet, aliquid natri acetici, sin acidum sulphurosum continet, non nihil kali bichromici addatur, tum rectificetur.

Destillatum *tanta* **Aquae destillatae** *copia* diluatur, ut partes quatuor sufficiant ad unam partem natri carbonici anhydri saturandam. Continet in 100 partibus 25 partes acidi acetici anhydri. Pondus specificum sit = 1,040.

Sit limpidum, coloris expers, odoris et saporis pungentis acidi, contra reagentia uti acidum aceticum se gerens.

In vasis bene clausis servetur.

Acidum arsenicosum.

Praeparatum officinarum metallariarum.

Prostat in massis albidis, plus minusve opacis, quasi vitreis, odoris expers, calore fortiore fumo albo diffugiat, cum carbone candente vel gase hydrogenio in tubo vitreo aestuatum odorem alliaceum spargat et sub forma speculi metallici splendissimi reducatur. In spiritu difficile, in aquae frigidae partibus sexaginta, ebullientis partibus duodecim sine residuo solubile.

Cautissime servetur.

Acidum benzoicum.

Paretur sublimatione e **Benzoë.**

Adhibeatur sartago ferrea, cujus margini apparatus affixus sit ita instructus, ut in eo acidum benzoicum bene refrigeretur, in sartaginem non recidat et sublimationis progressus observari possit.

Sint crystalli albidae, demum flavescentes, sericeo nitentes, odoris benzoini, in aquae frigidae partibus ducentis, fervidae partibus viginti quatuor, in spiritu, aethere, oleo terebinthinae facile solubiles, igni expositae facile liquescant et omnino avolent. Si crystallos in aqua fervida solutas addito kali hypermanganico calefeceris, ne olei amygdalarum amararum odor dignoscatur.

In vase bene obturando serva.

Acidum chloro-nitrosum.

R.	**Acidi hydrochlorati**	*partes tres,* .	3
	Acidi nitrici	*partem unam.*	1

Misce.

Ex tempore paretur.

Acidum citricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli rhomboideo - columnares, coloris expertes, diaphanae, in aëre immutabiles, in aqua, spiritu facile solubiles, nec non in aethere, temperatura leni fatiscant, calore aucto liquescant, denique decomponantur, ignitae plane avolent. Solutio aqua calcariae excedente commixta et calefacta praecipitatum album efficiat, refrigerando evanescens.

Solutio nec aqua hydrosulphurata, nec baryta nitrica, kali acetico, ammonio oxalico, calcaria sulphurica praecipitetur.

Acidum hydrochloratum crudum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Liquor subflavus, aëre vapores exhalans. Pondus specificum sit = 1,165 usque ad 1,170, quod respondet 33—34 partibus acidi hydrochlorati anhydri in 100 partibus. Continet vestigia acidi sulphurici et sulphurosi, argillae et ferri. Rejiciatur, quod acidum arsenicosum continet.

Caute servetur.

Acidum hydrochloratum dilutum.

R. **Acidi hydrochlorati puri**
Aquae destillatae, singulorum . *partes aequales.*

Misce. Sit limpidum, coloris expers, ponderis specifici = 1,06.

Serva in vasis epistomiis vitreis clausis.

Acidum hydrochloratum purum.

R. **Natrii chlorati** . . . . *partes quinque,* **5**
immitte in cucurbitam, quam obturamento bis perforato vel e gummi elastico parato vel suberino et superiore parte sacculi e gummi elastico confecti claudas. Alteri obturaculi foramini securitatis causa tubulus, alteri tubus vitreus bis curvatus, crassus, non nimis angustus ita adaptetur, ut gas penetrare non possit. Altera tubi vitrei extremitas eo usque in vas vitreum porrigatur, ut in aquam, quae inest in eo, paullum tantummodo immergatur. Vas vitreum decem aquae partium capax sit et

Aquae destillatae . . *partes septem et dimidiam* **$7^1/_2$**
contineat. Per tubulum securitatis causa insertum

Acidi sulphurici crudi . . . . . *partes novem,* **9**
cum **Aquae communis** . . . . *parte una* . . **1**
dilutas affunde. Per noctem acidum sulphuricum vim habeat ad natrium chloratum, postridie cucurbitam calefacere incipe et tam diu perge, ut massa plane liquida facta sit, neve acidi hydrochlorati quidquam extricetur. Vas continens aquam, in quam gas inducatur, bene refrigerandum est. Acidum **Aqua destillata** diluatur, ut sit pondus specificum = 1,124, quod respondet 25 partibus acidi hydrochlorati anhydri in 100 partibus.

Sit limpidum, coloris expers, igne plane avolans. Guttae aliquot aqua destillata dilutae argento nitrico exhibent praecipitatum album, caseosum, haud in acido nitrico, facillime in ammonio caustico solubile.

Aqua destillata dilutum neque baryo chlorato neque aqua hydrosulphurata turbetur, neque, additis acidi tartarici aliquot partibus et ammonio caustico excedente ammonio sulphurato in colorem viridem mutetur.

In vasis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

Acidum hydrocyanatum.

R. **Ferro-Kalii cyanati** . . . . . . *partes duas,* . 2
immitte in cucurbitam vitream et affunde
Acidi sulphurici crudi . . . . . *partem unam,* 1
antea dilutam cum **Aquae destillatae** . . *partibus duabus.* 2
Iunge dense cum apparatu refrigeratorio, cujus orificium conjunctum est cum tubo vitreo ad fundum phiolae porrecto continentis
Aquae destillatae . . . . *partem unam.* . 1
E balneo arenae leni coquendo et bene refrigerando destilla, donec phiola partes quatuor usque ad quatuor et dimidiam continebit. Hoc destillatum cum
Aquae destillatae . . . . *partibus duodecim* 12
aut tanto diluatur, ut duas partes acidi anhydri in 100 partibus contineat. Hoc ita dignoscitur, ut 100 partes dilutae cum argento nitrico 10 partes argenti cyanati bene siccati praebeant.

Sit limpidum, coloris expers, odoris peculiaris, cum liquore ferri sulphurici oxydulato-oxydati, tum liquore kali caustici, denique acido hydrochlorato mixtum praecipitatum obscure caeruleum praebeat.

In vitris, quinque grammata continentibus, loco obscuro et frigido **cautissime** servetur.

Acidum nitricum crudum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit coloris expers aut subflavum, in aëre vapores emittens, ponderis specifici = 1,334 usque ad 1,340, quod 45,5 usque ad 46,5 acidi nitrici anhydri in 100 partibus respondet.

Caute servetur.

Acidum nitricum dilutum.

R. **Acidi nitrici puri,**
Aquae destillatae singulorum . . *partes aequales.*
Misceantur.

Sit liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici = 1,086.

In vase epistomio vitreo clauso serva.

Acidum nitricum fumans.

R. **Kali nitrici pulverati siccati** . . . *partes duas,* . 2
in retortam immitte et affunde
Acidi sulphurici crudi ponderis specifici = 1,845 . . . . *partem unam* 1
ita, ut retorta ad dimidiam partem usque repleta sit. Retortae lege artis junge cucurbitam amplissimam, tum fiat destillatio, cucurbitam exactissime refrigerando, calore primum modico, sub finem aucto, quamdiu acidum destillat.

Sit limpidum, coloris e fusco rubri, in aëre fumum rubrum suffocantem exhalans, ponderis specifici = 1,520 usque ad 1,525. Aqua valde dilutum argento nitrico paullum modo turbetur.

In vasis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

Acidum nitricum purum.

R. **Kali nitrici pulverati** . . . . . . *partem unam,* 1
in retortam vitream immitte et affunde
Acidi sulphurici crudi . . . . . *partem unam,* 1
ut retorta usque ad dimidiam partem repleta sit. Adhibeatur excipulum satis amplum, quod, quantum sat est, refrigeretur.

Fiat destillatio calore primum remissiore, sub finem sensim aucto, donec residuum tranquille fluat. Destillatum obtentum tam diu in retorta calefiat, donec, quae transierint, si cum argento nitrico agitaveris, non amplius distincte turbida appareant. Quae in retorta restant, **Aqua destillata** diluantur, donec pondus specificum sit = 1,180, quod respondet 25 partibus acidi nitrici anhydri in 100 partibus.

Sit limpidum, coloris omnino expers, plane avolans. Cuprum raspatum ope acidi nitrici dissolvatur colore caeruleo, acidi nitrosi vapores e rubro fuscos emittens. Acidum additis aequali aquae destillatae quantitate et aliquot guttis chloroformii ne hoc subito, neve additione aquae hydrosulphuratae coloretur, neve acidum dilutum additis baryta nitrica et argento nitrico turbetur.

In vasis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

Acidum phosphoricum.

R. **Acidi nitrici puri** . . . . . . *partes duodecim,* 12
primum retortae vitreae amplae, cum excipulo leviter conjunctae, immitte,
deinde **Phosphori** . . . . *partem unam* . 1
et calefiant, donec phosphorus solutus sit. Deinde liquor in patinam porcellanicam effundatur et evaporet donec vapores nitrici non amplius dignoscantur, tum addantur
Aquae hydrosulphuratae . . . . *partes duodecim.* 12

Liquor per aliquot dies loco stet calido, quo facto filtretur et evaporet, dum omne gas hydrosulphuratum expulsum fuerit. Liquor deinde **Aqua destillata** diluatur, ut sit ponderis specifici = 1,122, quod respondet 15 partibus acidi phosphorici anhydri in 100 partibus, et filtretur.

Sit coloris et odoris expers, natro carbonico saturatum, argento nitrico praecipitatum ex albido flavum praebens, quod in acido nitrico et ammonio caustico perfecte solvatur. Aquae hydrosulphuratae duplice volumine mixtum post longius temporis spatium ne turbetur. Additis nonnullis guttis solutionis Indici calefactum ne decoloretur. Instillato argento nitrico post longius temporis spatium mixtura remaneat coloris expers. Baryta nitrica addita paullum modo turbetur.

Si praescribitur **Acidum phosphoricum siccum** seu **glaciale** in massam pilularum, acidum phosphoricum ad quintam sui voluminis partem est evaporandum.

Acidum succinicum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sint crystalli in crustis cohaerentibus obviae, e griseo flavescentes, odoris olei succini, igne cum nidore tussim excitante plane avolantes, in aquae frigidae partibus viginti quatuor, fervidae partibus duabus, in spiritu facile, in aethere parum, haud in oleo terebinthinae solubiles.

Solutio aquosa ne duplo aquae calcariae volumine mixta turbetur, neque aqua hydrosulphurata coloretur. Cum calcaria seu kali caustico tritum ne odorem ammonii alkalinum exhibeat.

Acidum sulphuricum crudum.

Paratur in officinis chemicis propriis.

Liquidum limpidum, plerumque coloris expers, oleosum, ponderis specifici = 1,830 ad 1,833, quod respondet 75 usque ad 76 partibus acidi sulphurici anhydri in 100

partibus, aut 94 ad 94,7 partibus in 100 partibus acidi sulphurici ponderis specifici = 1,845.

Sit arsenico omnino liberum, quod cognoscitur, eo, quod non in acido, cum aequali quantitate aquae mixto, et refrigerato pari volumine aquae hydrosulphuratae addito, et in loco tepido reposito, praecipitatum oriatur, quod in ammonio solvitur et acido hydrochlorato colore flavo praecipitatur.

Caute in vasis epistomiis vitreis clausis serva.

Acidum sulphuricum dilutum.

R. **Acidi sulphurici puri** . . . . . *partem unam,* 1
Aquae destillatae . . . . *partes quinque.* 5

Acidum sulphuricum caute in aquam infundatur, quam ita, ut vertex oriatur, peragitaveris.

Pondus specificum sit = 1,113 usque ad 1,117.

Acidum sulphuricum fumans.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Liquidum subfuscum, oleosum, vapores e griseo albidos, suffocantes exhalans. Pondus specificum sit = 1,860 usque ad 1,900.

Sit acido arsenicoso omnino liberum.

Caute in vasis epistomiis vitreis clausis servetur.

Acidum sulphuricum purum.

R. **Ammonii sulphurici** . . . . *partem unam,* . . 1
in retortam vitream immissae affunde
Acidi sulphurici crudi . . . *partes quinquaginta,* 50
ut tres quadrantes retortae impleantur, cui antea frustula

vitri vel platinae immissa fuerint. Tum in arenae balneo igne sensim aucto acidum calefiat, et rejecta quindecima parte primo prodeunte, ignis per totum destillationis tempus summa cum cura aequabile servetur, donec *partes quadraginta* transierint.

Sit coloris et odoris expers, oleosum, calefactum plane avolans, ponderis specifici = 1,840, quod respondet 80 partibus acidi sulphurici anhydri in 100 partibus. Guttae aliquot aqua valde dilutae baryo chlorato praecipitatum album, in acido hydrochlorato insolubile, praebeant. Triplo spiritus volumine mixtum nullum sedimentum efficiat; aqua dilutum ne aqua hydrosulphurata turbetur; admixta solutione frigida et concentrata ferri sulphurici nulla zona opaca, ex rubello flava vel ex rubro fusca inter ambos liquores exoriatur.

In vasis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

Acidum tannicum.

R. **Gallarum subtiliter pulveratarum** *partes octo,* . 8

immitte in vas claudendum et infunde

Aetheris . . . . *partes duodecim,* 12

Spiritus . . . . *partes tres,* . . 3

saepe quassatae stent per biduum, tum defunde. Hanc operationem repete, mixturam ex aethere et spiritu eadem ratione compositam adhibens. Liquoribus commixtis et filtratis tertiam **Aquae destillatae** partem mensura dimensam adde, saepe agita, facta separatione liquorem aquosum sejunge, deinde liquorem aethereum eadem ratione bis tracta. Quo facto solutiones aquosae, si limpidae non sint, filtrentur, in balneo vaporis evaporent, residuum, ut pulvis fiat subtilis, conteratur.

Sit pulvis e subflavo albus, ignitus sine residuo avolans, in aqua facile, difficilius in spiritu solubilis, cujus solutionis sint reactiones acidulae. Solutio spirituosa ne addito aethere turbetur; aquosa liquore ferri sesquichlorato colore e nigro caeruleo turbetur et solutio gelatinae animalis praecipitatum exhibeat elastico-tenax, albidum.

Acidum tartaricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Adhibeantur tantummodo crystalli coloris et odoris expertes, aëri expositae non mutabiles, excandefactae sub exhalatione odoris proprii decomponantur, ignitae sine residuo avolantes, in aquae frigidae parte una et dimidia, fervidae parte una et, quamquam difficilius, in spiritu partibus tribus solubiles. Solutio aquosa addito liquore frigido et concentrato kali sulphurici praebeat praecipitatum crystallinum, addita aqua calcariae excedente praecipitatum in ammonio chlorato solubile. Acidum in duplo aquae pondere solutum aqua hydrosulphurata, baryta nitrica et ammonio oxalico ne turbetur.

Acidum valerianicum.

R. **Radicis Valerianae grosse pulveratae** *partes viginti,* 20
Aquae communis . . . *partes centum et viginti,* 120
vesicae destillatoriae immittantur et lege artis *partes triginta* destillando abstrahantur, oleo Valerianae simul cum aqua transiente lagenae florentinae ope separato. Residuo
Aquae communis . . . *partes triginta* 30
infundantur, et destillatio uti antea repetatur. Aquae Valerianae, ab oleo liberatae
Natri carbonici depurati *quantitas sufficiens*

addatur ad perfectam saturationem, liquor primum coquendo, sub finem leni calore in balneo vaporis agitando ad siccitatem redigatur. Natrum valerianicum siccum tum pondere aequali aquae solutum in retortam vitream ingeratur, et ejus quinque partibus admisceantur

Acidi sulphurici crudi	. . . . .	*partes quatuor,*	4
Aquae destillatae	. . . .	*partibus octo*	8

antea dilutae. Adaptato excipulo bene refrigerando destillent ex balneo arenae fere ad siccum. Acidum valerianicum oleosum destillato aquoso supernatans separetur, denuo in retortam tubulatum ingeratur et rectificetur, quod primum transierit, rejiciatur, donec acidum aqua plane liberum destillet; destillatio pergatur, donec tres quadrantes obtenti sint.

Liquidum limpidum, coloris expers, ponderis specifici = 0,937, in aethere, spiritu et liquore ammonii caustici qualibet proportione solubile; partes aquae viginti quinque vix unam acidi partem solvant, quae solutio chartam exploratoriam caeruleam in rubrum convertat neve baryo chlorato neve argento nitrico turbetur. Acidum in aquae et liquoris ammonii caustici pari volumine ad neutralisationem instillatum additis guttis nonnullis liquoris ferri sesquichlorati ne liquor praecipitato e rubro fusco, resinoso supernatans colore rubro tingatur.

In vase epistomio vitreo clauso servetur.

Aconitinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Pulvis albus, rarius granuloso - crystallinus, odoris expers, in aquae frigidae partibus centum et quinqua-

ginta, fervidae partibus quindecim solubilis; in spiritu, aethere, chloroformio et aqua, acido hydrochlorato acidulato facile solubilis. Solutio haecce kali bicarbonico et platino chlorato ne praecipitetur, sed ammonio caustico albido, tinctura jodi kermesino colore, acido sulphurico et nitrico in frigore ne mutetur. Ignitus liquescat, denique sine residuo deflagret.

In vase bene clauso **cautissime** servetur.

Adeps suillus.

Sus Scrofa *L.*

Sit albissimus, fere odoris expers, saporis non rancidi.

Eliquatione in omento et ad renes haerentis pinguedinis obtinetur.

Aerugo seu Cuprum subaceticum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Massa compacta, difficulter friabilis, caerulea aut e caeruleo viridis, in aqua ex parte, in acido sulphurico, acido acetico oriente, et in ammonio caustico colorem caeruleum adipiscente fere perfecte solubilis.

Caute servetur.

Aether.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit limpidus, coloris expers, valde tenuis et inflammabilis, in spiritu omnibus in proportionibus solubilis, in aquae pari volumine conquassatus ne plus decima parte solvatur; chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciat; plane avolans, ita ut linteum aethere imbutum exhalatione

peracta odorem non spargat. Pondus specificum ne excedat numerum 0,725.

Loco frigido in vasis non amplis optime clausis servetur.

Aether aceticus.

R. **Natri acetici crudi** . . . . *partes viginti,* 20
primum calefaciendo ab aqua crystallisationis liberatae statim in retortam tubulatam immittantur, tum

Spiritus . . . . *partes duodecim,* 12
Acidi sulphurici crudi ponderis specifici = 1,845 . . . . *partibus viginti* 20

antea mixtae et refrigeratae affundantur, quo facto tubulus retortae confestim claudatur, et apparatus refrigeratorius adaptetur. Mixtis per noctem sepositis fiat destillatio leni calore in balneo arenae, donec *partes octodecim* elicitae sint. Quod destillaverit, si acidum liberum continet, Calcariae tenuiori pulte caute admixta ab acido liberatum, a solutione aquosa decantetur. Aether separatus in apparatu supra descripto super calcio chlorato sicco in balneo aquae rectificetur.

Sit limpidus, tenuis, coloris expers, ad chartam exploratoriam indifferens, odoris proprii suavis aetherei, ponderis specifici = 0,900 usque ad 0,904, in quavis quantitate aetheris et spiritus solubilis, cum aequali volumine aquae ubi conquassatur, aqua ne amplius quam decima parte augeatur. Aether cum pari spiritus volumine et liquoris natri caustici in vase clauso in temperatura = 60° decomponatur, et liquidum acido hydrochlorato diluto neutralisatum guttis aliquot liquoris ferri sesquichlorati in colorem rubrum transmutetur.

In vasis optime clausis servetur.

Aloë.

Aloës variae species.

Massae non pellucidae, e subviridi obscure fuscae, ad marginem colore pallide fusco vel badio diaphanae, fractura conchata, vitri instar nitentes, odoris aspiratae massae, quam maxime nauseosi, proprii, saporis valde amari; pulverem coloris e viride flavi praebentes. In aqua frigida, partim, resinam mollem relinquentes, solubiles, in aqua fervida turbidam, in spiritu paene limpidam solutionem praebentes.

E promontorio bonae spei, patria plantae maternae, evehitur.

Alumen seu Alumina-Kali sulphuricum.

Praeparatum officinarum propriarum.

Adhibeatur alumen kali, nunquam ammonium continens.

Massae textura crystallina, coloris expertes, subpellucidae, subfatiscentes, in aquae frigidae partibus sedecim, in aquae ebullientis partibus aequalibus plane, in spiritu non solubiles. Solutio aquosa sit reactionis acidae, liquore ammonii caustici praecipitetur in forma gelatinae, in liquore natri caustici excedente plane solubilis; addita aqua hydrosulphurata ne, addito ammonio sulphurato minime coloretur. Liquore natri caustici contritum odorem ammoniacalem ne exhalet.

Alumen ustum.

Alumen uratur in olla fictili, non vitreata, satis capaci, donec totum in massam levem, spongiosam mutatum fuerit.

Sit candidum, leve, friabile, reactionis acidae, plane etsi lente in aqua solubile.

Alumina hydrata.

R. **Aluminis** . . . . *partes decem*, . . 10
Aquae destillatae calidae . . . *partibus octoginta*, 80
solutae et filtratae sub perpetua agitatione instillentur
in **Liquoris ammonii caustici** . . . *partes duodecim*, 12
cum **Aquae destillatae** . . . . *partibus octoginta* 80
dilutas, cum cura, ut ille praevaleat. Praecipitatum inde ortum subsidendo, defundendo et in filtro colligendo ita edulcoretur, ut liquor filtratus baryta nitrica vix turbetur. Praecipitatum edulcoratum inter chartam bibulam exprimatur et siccatum ad pulverem subtilissimum conteratur.

Sit pulvis albus, levis, linguae adhaerens, haud in aqua, plane in acidis dilutis et in liquore natri caustici solubilis; et solutio alkalina ammonio chlorato praecipitetur, ammonio sulphurato et, si est acida, baryta nitrica minime turbetur.

Ammoniacum seu Gummi-resina Ammoniacum.

Dorema Ammoniacum *Don.*

Grana subrotunda, magnitudine pisi usque ad fructum Juglandis, aut massae subfuscae intermixta aut ad massam irregulariter conglutinata, extus flava vel e flavo fusca, fractura leviter conchata, lactea, pinguiter nitida, tenuibus assulis diaphana, frigore duriuscula, calore mollescentia; manducata fauces radentia, saporis amari, odoris proprii; in aqua trita lactescentia, in spiritu partim solubilia. Fuscum, plurimis quisquiliis intermixtum rejiciendum est.

Ad usum pharmaceuticum tempestati gelidae expositum terendo redigatur in pulverem, ab quisquiliis ope cribri separandum.

Succus lacteus aëre induratus herbae multennis Persidem habitantis.

Ammonium carbonicum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Massae albae, diaphanae, forte ammonium, non empyreuma redolentes, crystallinae, in superficie pulvere albo leviter tectae, in aquae partibus quatuor vel quinque solubiles, acidis valde effervescentes, temperatura aucta plane volatiles. Solutio acido acetico super saturata argento nitrico quam minimam turbationem praebeat, sed aqua hydrosulphurata, baryo chlorato et ammonio oxalico ne mutetur.

In vasis optime obturatis servetur.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum.

R. **Ammonii carbonici** . . . . *partes triginta duas,* 32
in pulverem contere, et misce intime cum
Olei animalis aetherei . . . *parte una,* . . . 1
sensim instillanda.

Pulvis albidus, tempore flavescens, in aqua colore flavescente solubilis.

In vase vitreo bene clauso servetur.

Ammonium chloratum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Placentae albae, durae, aëre non variabiles, structura crystallino-fibrosae, in aquae frigidae partibus tribus,

fervidae parte una solubiles. Pulvis sit perfecte albus, ignitus sine deliquio plane volatilis, kali caustico ammonium large spargens. Solutio aquosa sit plane limpida, aqua hydrosulphurata, ammonio sulphurato et baryo chlorato ne mutetur.

Amylum Marantae.

Maranta arundinacea *L.*

Pulvis subtilissimus, albus, opacus, odoris et saporis expers, in aqua frigida et spiritu insolubilis, cum partibus nonaginta sex aquae bullientis mucilaginem praebens tenuiorem, pellucidam, addito jodo colorem e caeruleo violaceum assumentem. Amylum cum decem partibus mixturae ex acidi hydrochlorati partibus duabus et aquae parte una paratae per sextantem horae conquassatum pro maxima parte immutatum praecipitetur; neque gelatina fiat neque odor herbaceus, leguminum phaseoli immaturorum recentium odori comparandus exhaletur.

Non raro quoque sub eodem nomine amylum Curcumarum leucorrhizae et angustifoliae *Roxb.* e Malabaria et amylum Manihot utilissimae *Pohl.* e Brasilia in mercatura occurrunt, quae sub microscopio composito facillime discerni possunt. Nam amyli Marantae granula ooïdea vel ovalia, stratis superpositis manifestis et in regione latioris diametri rimula transversa vel puncto saepissime excentrico sunt instructa. Amylum Curcumae ex granulis constat planis, ovatis vel ovato-oblongis, hinc obtusis, inde plus minusve acutis, ibidem puncto maxime excentrico et stratis adjacentibus, lunatis, numerosissimis tenuissimisque praeditis. Amylum Manihot e granulis constat primo bi-, ter- vel quaternatim cohaerentibus, in sicco

separatis, nunc tympani formam efficientibus, puncto centrali stratisque concentricis instructis.

Cave ne adulteratum sit Amylo Solani tuberosi *L.*, quod in reactione supra dicta gelatinam praebet crassam, phaseolis immaturis recentibus redolentem, et sub microscopio composito ostendit granula plus minusve ooïdea, hinc obtusa, inde acutiora, ibidem puncto excentrico, circum quod stratis concentricis irregularibus sunt instructa.

E rhizomate Marantae in India occidentali et orientali separatur, unde ad nos adfertur.

Amylum Tritici.

Triticum vulgare *Villars.*

Merx venalis in frustis irregularibus, angularibus, cohaerentibus, detrita pulverem praebet subtilissimum, e subcaeruleo album, opacum, odoris et saporis expertem, in aqua frigida et spiritu insolubilem. Sub microscopio composito ex orbiculis constat lenticularibus vel subrenatis, magnitudine valde diversis, puncto centrali et stratis concentricis oblitteratis notatis. Amylum cum partibus nonaginta sex aquae bullientis liquorem efficit mucilaginosum, sublacteum, jodo addito colorem e caeruleo violaceum suscipientem, cum decem partibus mixturae ex acidi hydrochlorati partibus duabus et aquae parte una paratae conquassatum gelatinam odoris expertem praebet.

Ex fructibus Tritici in officinis propriis separatum.

Antidotum Arsenici.

R.	**Liquoris Ferri sulphurici oxydati**	*partes sexaginta,*	60
	Aquae communis . .	*partes ducentas triginta tres,*	233
	Magnesiae ustae	*partes septem.* .	7

Dimidiae aquae parti in lagenam satis amplam infusae primum liquorem ferri sulphurici oxydati, deinde magnesiam ustam, cum altera aquae parte contritam adde, quo facto mixta continuo conquassa, donec puls aequabilis et tenuis formata sit.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Praesto esse debent circiter 500 grammata liquoris ferri sulphurici oxydati et 150 grammata magnesiae ustae.

Aquae destillatae.

Aquae destillatae odorem et aqua opii excepta saporem proprium substantiarum earum, e quibus paratae sunt, probe praebeant; ne mucilaginosae neve floccosae sint, et ab oleo aethereo conquassando non soluto liberentur. Ad aquas ope vaporum praeparandas substantiae vegetabiles integrae, ad alias autem grosso modo contusae aut concisae adhibendae sunt.

Aquae destillatae omnes loco frigido et obscuro asservandae sunt.

Aqua Amygdalarum amararum.

R. **Amygdalarum amararum** . . . *partes duodecim,* **12**
contundantur, ope preli in temperatura 40° non excedente ab oleo pingui quam maxime liberentur, iterum subtile pulverentur, cum

Aquae communis . . . . *partibus octoginta* **80**
in pultem aequabilem redigantur et additis

Spiritus . . . . *partibus duabus* . **2**
sub optima refrigeratione caute destillent
partes undecim usque ad quatuordecim **11 — 14**

aut tantum, ut partes mille aquae destillatae et conquassatae acidi hydrocyanati 1,2 usque ad 1,3 contineant aut partes mille ejus argento nitrico ammoniato conquassatae et acido nitrico addito 6,0 usque ad 6,5 partes argenti cyanati sicci praebeant.

Sit paullum turbescens, acidum hydrocyanatum, oleum amygdalarum amararum valde redolens. Hic odor manet, si acidum hydrocyanatum argento nitrico separatum est.

In vitris parvis repletis bene clausis **caute** servetur.

Aqua Amygdalarum amararum diluta.

R. **Aquae Amygdalarum amararum** . . *partem unam,* 1
Aquae destillatae . . . . *partes viginti quatuor.* 24
Misce.

Aqua Anisi.

R. **Fructuum Anisi vulgaris** . . . . *partem unam,* 1
Aquae communis . . . . *partes triginta.* 30
Destilla e vesica destillatoria . . . . . *partes viginti.* 20

Sit primo turbida, demum limpida.

Aqua aromatica.

R. **Foliorum Salviae** . . . . *partes quatuor,* 4
Foliorum Rosmarini, ... 2
Foliorum Menthae piperitae, ... 2
Florum Lavandulae, singulorum . *partes duas,* . 2
Fructuum Foeniculi, ... 1
Corticis Cinnamomi Cassiae, singulorum
partem unam, 1
Spiritus . . . . *partes viginti sex,* . . 26
Aquae communis . . . *partes centum et triginta.* 130

Concisa et contusa macerentur per viginti quatuor horas et destillando eliciantur *partes septuaginta duae* 72

Sit turbida, odoris fortis aromatici.

Aqua Asae foetidae composita.

R. **Galbani** . . . . *partes octo,* . . 8
Asae foetidae . . . . *partes duodecim,* 12
Myrrhae . . . . *partes sex,* . . 6
Radicis Valerianae, ... 16
Rhizomatis Zedoariae, singulorum *partes sedecim,* . 16
Radicis Angelicae . . . . . . *partes quatuor,* 4
Foliorum Menthae piperitae . . *partes duodecim,* 12
Herbae Serpylli, ... 8
Florum Chamomillae Romanae, singulorum *partes octo,* . . 8
Castorei Canadensis . . . . . . *partem unam.* . 1

Contusis, concisis et in retortam immissis affunde
Spiritus diluti . . *partes centum et quinquaginta,* 150
stent per viginti quatuor horas. Tum adde
Aquae communis . *partes trecentas,* 300
et destillent . . . . . . *partes trecentae.* 300

Sit turbida.

Aqua Calcariae.

R. **Calcariae** . . . . *partem unam,* . . 1
Aquae communis . . . . . *parte dimidia* . . 1/2
aspersa extinctam, misce intime cum
Aquae communis . . . . . . *partibus viginti.* . 20
Postquam subsederint, aqua defundatur et residuo iterum infundantur
Aquae communis . . . . . . *partes quinquaginta,* 50

stent per aliquot horas saepius agitando, et mixtum a maxima parte sedimenti liberatum in vas bene obturandum immittatur. Ante dispensationem filtretur.

Sit plane limpida, coloris et odoris expers, reactione alkalina, fervefacta et aëre inhalato turbetur.

Aqua Chamomillae.

R. **Florum Chamomillae vulgaris** . . *partem unam.* 1
Ope vaporum destillent . . . . *partes quinque.* 5

Sit paullum caerulescens, subturbida.

Aqua Chlori.

R. **Kali bichromici** . . . . *partes duas,* . 2
Acidi hydrochlorati . . . . . *partes undecim,* 11
in cucurbitam infundantur, quae ad dimidiam repleta sit et obturamento e gummi elastico parato bis perforato claudatur. Alteri obturaculi foramini securitatis causa tubulus, alteri tubus vitreus, bis curvatus, crassus ita adaptetur, ut gas penetrare non possit. Tubi vitrei altera extremitas cum lagenula tubulata, cui insunt
Aquae communis . *partes sex,* 6
conjuncta, ope tubi vitrei bis curvati in lagenarum duarum alteram porrigatur, quarum ad dimidiam partem impletarum utraque
Aquae destillatae . *partes septuaginta quinque* 75
contineat. Cucurbita in balneo aquae collocata chlorum per lagenulam in alterius lagenae aquam inducatur. Simul atque tantum chlori erit elicitum, ut hujus lagenae dimidia pars superior gase e subflavo viridi repleta sit, lagena cum altera lagena commutetur. Priore clausa gas cum aqua conquassetur. Quum alterius quoque lagenae dimi-

dia pars superior gase erit repleta, haec iterum cum illa commutetur, eodemque, quo illa, modo tractetur. Haec agendi ratio repetatur, quamdiu gas ab aqua absorbetur.

Sit limpida, e subflavo viridis, odoris suffocantis, chartam tinctura laccae musci imbutam statim decolorans. Hydrargyro metallico conquassata, ita ut chlorum perfecte absorbetur, liquidum restans colorem chartae exploratoriae caeruleae colore rubro ne minime tingat.

Aquae Chlori partes centum, quas admiscueris partibus quatuor ferro ammonii sulphurici in aqua soluti liquorem kali hypermanganici ne amplius decolorent. Contineat igitur minimum 0,366 partes chlori in 100 partibus.

A luce arceatur et in lagenis parvis iisque semper plane repletis vitreisque obturamentis clausis servetur.

Gas Chlori e **Mangano hyperoxydato** et **Acido hydrochlorato crudo** excitare licet.

Aqua Cinnamomi.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae**	. .	*partem unam,* .	1
Aquae communis	. . . .	*partes viginti.* .	20
Destillent e vesica destillatoria	. . . .	*partes decem.* .	10

Sit primo turbida, demum limpida.

Aqua Cinnamomi spirituosa.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae**	. .	*partem unam,* .	1
Spiritus diluti	. . . .	*partem unam,* .	1
Aquae communis	. . . .	*partes decem.* .	10
Destillent e vesica destillatoria	. . . .	*partes quinque* .	5

Sit turbida, demum limpida.

Aqua communis.

Sit perfecte limpida, odoris, saporis et coloris plane expers, aqua fontana aut fluvialis aut pluvialis, post diuturnam pluviam collecta.

Si a sapore malo libera, coloris expers et limpida obtineri non potest, per arenam et carbonem in vicem strata filtretur.

Aqua destillata.

R. **Aquae communis** . . . . *partes centum,* **100**
destillent, rejectis partibus quinque primum prodeuntibus,
partes septuaginta. **70**

Sit limpida, coloris, odoris et saporis expers, nullius reactionis, et in balneo vaporis plane volatilis.

Aqua Foeniculi.

Paretur e **Fructibus Foeniculi** uti **Aqua Anisi.**

Sit paulum turbida.

Aqua Florum Aurantii.

R. **Aquae Florum Aurantii venalis,**
Aquae destillatae, **singularum** *partes aequales.*
Misce.

Aqua Kreosoti.

R. **Kreosoti** . . . . *partem unam,* **1**
Aquae destillatae . . . . *partes centum.* **100**
Misce conquassando. Nonnisi ad dispensationem paretur.

Sit turbida.

Aqua Lauro-Cerasi.

R. **Foliorum Lauro-Cerasi recentium** *partes duodecim.* 12
Concisis et ope pistilli lignei in mortario lapideo contusis affunde
Aquae communis . . . . . . *partes triginta sex,* 36
Spiritus . . . . *partem unam,* . 1
bene refrigerando destillent . . . . *partes duodecim,* . 12
aut tantum, ut obtineatur aqua fortitudine adaequans aquam Amygdalarum amararum, quae uti haec asservetur.

Sit limpida, acidi hydrocyanici penetrantis odoris. **Caute** servetur.

Aquae Melissae.

Paretur e **Foliis Melissae** uti **Aqua Chamomillae.**

Sit limpida.

Aqua Menthae crispae.

R. **Foliorum Menthae crispae** . . . . . *partem unam.* 1
Ope vaporum destillent . . . . *partes decem.* 10

Sit paulum turbida.

Aqua Menthae piperitae.

Paretur e **Foliis Menthae piperitae** uti **Aqua Menthae crispae.**

Sit paulum turbida.

Aqua Menthae piperitae spirituosa.

Paretur e **Foliis Menthae piperitae** uti **Aqua Cinnamomi spirituosa.**

Sit turbida.

Aqua Opii.

R. **Opii siccati et grosso modo pulverati** *partem unam,* 1
Aquae communis . . . . *partes decem.* 10
Destillent . . . . *partes quinque.* 5
Caute serva.

Sit limpida.

Aqua Petroselini.

Paretur e **Fructibus Petroselini** uti **Aqua Anisi.**

Sit primo paulum turbida, demum limpida.

Aqua phagedaenica.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** . *partem unam,* . 1
solve in **Aquae Calcariae** . . . . . *partibus trecentis.* 300

Sit turbida, in quiete praecipitatum e flavo aurantiacum deponens.

Si requiritur ex tempore paretur.

Aqua Picis.

R. **Picis liquidae** . . . . *partem unam,* 1
macera saepius agitando cum **Aquae destillatae fervidae**
partibus decem 10
per biduum. Postquam subsedit, liquorem limpidum decanta et in lagenis bene obturatis serva.

Sit limpida, subflava, odoris et saporis picis liquidae.

Aqua Plumbi.

R. **Aquae destillatae** . . . *partes quadraginta novem,* 49
Liquoris Plumbi subacetici *partem unam.* . . . 1

Misceantur. Sit paullum turbida. Ante dispensationem agita.

Caute servetur.

Aqua Plumbi spirituosa.

R. **Aquae communis** . . *partes quadraginta quinque,* **45**
Liquoris Plumbi subacetici *partem unam,* . . . **1**
Spiritus diluti . . . . . *partes quatuor.* . . . **4**
Misceantur. Sit turbida, ante dispensationem agita.

Caute servetur.

Aqua Rosae.

R. **Florum Rosae recentium** . . . . *partem unam,* **1**
aut **Natrii chlorati parte dimidia conditorum**
sesqui partes, **$1^1/_2$**
Aquae communis . . . . *partes decem.* **10**
Destillent . . . . *partes quinque.* **5**

Sit limpida.

Aqua Rubi Idaei.

R. **Placentae Fructuum Rubi Idaei recens expressae**
partes centum, **100**
adde aquae copiam sufficientem.
Destillent . . . . *partes quindecim.* **15**

Hujus aquae pars **una Aquae destillatae partibus novem** ad dispensationem diluatur.

Sit limpida.

Aqua Salviae.

Paretur e **Foliis Salviae** uti **Aqua Menthae crispae.**

Sit primo paulum turbida, demum limpida.

Aqua Sambuci.

Paretur e **Floribus Sambuci** uti **Aqua Menthae crispae.**
Sit paulum turbida.

Aqua Tiliae.

Paretur e **Floribus Tiliae** uti **Aqua Chamomillae.**
Sit limpida.

Aquae Valerianae.

Paretur e **Radice Valerianae** uti **Aqua Anisi.**

Sit limpida, rubefaciat chartam exploratoriam caeruleam.

Argentum.

R. **Argenti venalis** . . . . . . *partes tres,* . . . 3
solve in **Acidi nitrici puri** *partibus decem vel duodecim,* **10—12**
dilue solutionem **Aquae destillatae** . *partibus quindecim,* **15**
et adde inter agitationem **Acidum hydrochloratum,** quamdiu praecipitatum oritur et illud aliquantum praevalet. Praecipitatum filtro collectum, sedulo elue et solve in quantitate sufficiente **Liquoris ammonii caustici.** Solutionem effunde guttatim in solutionem filtratam, ebullientem e
Sacchari uvarum . . . . . *partibus quinque,* **5**
Natri carbonici puri . . . . *partibus quindecim,* **15**
Aquae destillatae . . . . . *partibus ducentis* **200**
paratam. Coquantur per aliquod tempus, refrigeratis sedimentum filtro collige, sedulo elue, sicca et in patina porcellanica usque ad 300°. calefac.

Pulvis pallide cinereus aut ex argenteo albus, facile et perfecte in acido nitrico solutionem coloris expertem prae-

bens, quae valde diluta acido hydrochlorato caseosum album praecipitatum praebeat. Praecipitatum ammonio caustico iterum solvatur. Solutio in acido nitrico ammonio caustico abundante ne caerulescat, multo aquae diluta neve natro sulphurico turbetur.

Argentum foliatum.

Argentum in lamellas tenuissimas redactum.

Ab aliis metallis liberum sit.

Argentum nitricum crystallisatum.

R. **Argenti** . . . . *partes tres,* . 3
solve in **Acidi nitrici puri** . . . . . . *partibus octo,* 8
evapora ad siccum et usque ad liquationem massae salinae calefac. Refrigeratum solve in
Aquae destillatae . . . . *partibus decem,* 10
filtra et in crystallos redigatur.

Tabulae in aëre persistentes, coloris expertes, quatuor vel sex lateribus instructae, in aqua, spiritu et aethere perfecte, in ammonio caustico sine colore solubiles. In carbone tubulo ferruminatorio incensae primo scintillas ejicientes deliquescant, granulum denique argenti puri relinquant.

In vase denigrato bene obturato **caute** servetur.

Argentum nitricum fusum.

R. **Argenti nitrici crystallisati** *quantum vis,*
calefac perpetua agitatione in vase porcellanico, ut massa aequaliter liquescat, et in modulum proprium calefactum ad bacillos tenues effundatur.

Sit album aut e griseo albidum, compactum, in fractura radiatum. In spiritus partibus decem perfecte, in ammonio caustico sine ullo colore solubile.

In vitro denigrato **caute** servetur.

Argentum nitricum cum Kali nitrico.

R. **Argenti nitrici crystallisati** *partem unam,*
Kali nitrici . . . . . . *partes duas,*
contere, misce et in vase porcellanico liquatas in bacillorum formam funde.

Bacilli albi, duri, in fractura vix crystallini. In aequali quantitate aquae calore soluti et partibus decem spiritus additis non plus quam duo tertiaria kali nitrici secernant.

In vitro denigrato **caute** servetur.

Argilla.

Terra cohaerens, friabilis, albida, inquinans, humectata subtenax, in aqua dilabens, maxima ex parte ex argilla constans; acido hydrochlorato affuso minime effervescens.

Asa foetida seu Gummi-resina Asa foetida.

Scorodosma foetidum *Bunge.* **Ferula Asa foetida** *L.*

Grana libera vel plus minus inter se conglutinata vel massae irregulares, fractura recenti albida, opalina, pinguiter nitida, mox purpurascentia, tandem sordide fuscescentia, sub digitis lentescentia; odoris ingratissimi, alliacei, saporis teteri. Cum aqua trita emulsionem griseam

praebentia, in spiritu pro parte solubilia. Massae subnigrae, lapidibus aliisque sordibus mixtae sunt rejiciendae.

Asa foetida tempestate gelida est pulveranda et a quisquiliis ope cribri purganda.

Succus lacteus aëre induratus herbae multennis Persidem habitantis.

Atropinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, sericeo-nitentes, prismaticae, in aquae frigidae partibus trecentis solubiles, facilius in spiritu, difficilius in aethere, solutione alkaline reagente. Solutio partis unius in partibus ducentis aquae acidulatae natro carbonico ne turbetur neve praecipitatum resinoso-conglutinans praebeat; in maxima dilutione pupillam dilatet. Ignitum liquescat et disperso odore proprio, acido benzoico simili, fumum album expellat, et denique flamma fuliginosa sine residuo deflagret. Nec acido sulphurico, nec acido nitrico addito se tingat.

In vase bene clauso **cautissime** servetur.

Atropinum sulphuricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli subtiles, tenues, nitidae aut pulvis albus, amorphus, in aqua et spiritu facile solubilis. Solutio aquosa ammonio caustico initio turbetur, majore copia aquae praecipitatum iterum solvatur. Solutio illa partis unius in partibus ducentis alkaliis ne mutetur. Calefactum liquescens, rubescens, carbonem edens, denique sine residuo deflagrans.

In vase bene clauso **cautissime** servetur.

Auro-Natrium chloratum.

R. **Auri** . . . . *partes sexaginta quinque,* . 65
solve in **Acidi chloro-nitrosi** *partibus ducentis et sexaginta* 260
et evapora in balneo vaporis donec portiuncula exemta in massam salinam concrescat. Tum sedulo admisce

Natrii chlorati pulverati *partes centum* 100
et sub continua agitatione in balneo vaporis ad siccitatem evaporent.

Sit pulvis aurantiacus, aëre vix variabilis, in aqua facile solubilis, cujus pars una, in filtro cum spiritu absoluto elota donec hic plane coloris expers defluat, partem dimidiam relinquat.

Caute in vitro denigrato serva.

Aurum.

R. **Auri venalis** . . . . . *partem unam,* 1
solve in **Acidi chloro-nitrosi** . *partibus quatuor,* . . . 4
evapora in balneo vaporis ad consistentiam syrupi spissioris, residuum solve in

Aquae destillatae . . . *partibus duodecim,* . . 12
filtra et adde solutionem filtratam e

Ferri sulphurici puri . *partibus quinque* . . . 5
in **Aquae destillatae** . . . . *partibus viginti quinque.* 25

Calefacto per aliquot tempus in balneo vaporis et refrigerato praecipitatum filtro collige, primo **Acido hydrochlorato**, deinde **Aqua destillata** elue et sicca.

Sit pulvis e flavo fuscus, pressus aut tritus nidorem auri accipiens, in acido nitrico non solubilis, sed addito acido hydrochlorato perfecte ad liquorem flavum solubilis, in quo addito acido oxalico et coctione aurum omne prae-

cipitetur et filtratum aqua hydrosulphurata et ammonio hydrosulphurato ne commutetur.

Aurum foliatum.

Aurum purum in lamellas tenuissimas redactum. Acidum nitricum ne solvat; acidum defusum, ammonio caustico praevalente affuso, colorem ne ducat.

Balsamum Copaivae.

Copaiferae variae species.

Recens consistentia syrupi, limpidum, subflavum, odore proprio balsamico, sapore subamaro, in spiritu et aethere solubile. Calefactum ne oleum terebinthinae redoleat et post exhalationem olei aetherei resinam frigide friabilem, non mollem et fluidam praebeat. — Vetustum coloris obscurioris et consistentiae spissioris est rejiciendum.

Incisione aut terebratione trunci Brasiliae indigenarum arborum obtinetur.

Balsamum Peruvianum.

Myroxylon Sonsonatense *Klotzsch.*

Fluidum e nigro fuscum, in stratis tenuioribus colore ex purpureo fusco diaphanum, tactu unguinosum, aëri expositum non siccescens, consistentiae syrupi, reactionis acidae, ponderis specifici = 1,15 ad 1,16, odoris grate vanillacei, saporis subamari, os diu urens, in spiritus partibus sex fere plane solutione turbida solubile, cum aqua destillatum oleum aethereum non praebens. Mille partes balsami partes septuaginta quinque natri carbonici crystallisati neutralisare debent.

Cum majore oleorum pinguium copia misceri non potest, facile autem cum oleis aethereis. Cum pari pondere acidi sulphurici concentrati mixtum incalescat, et post perfectam refrigerationem aqua ablutum, totum in massam fere solidam indurescat, cui nullae partes unctuosae e. g. Balsami Copaivae, Olei Ricini admixtae sint.

Balsamum arboris in America centrali-occidentali indigenae e cortice laeso et igne aliquamdiu inflammato effluere dicitur.

Baryta carbonica.

Exhibet massas densas seu crystallinas vel aggregatas variae formae, coloris grisei vel subflavi vel subfusci. In acido hydrochlorato vel nitrico sub effervescentia magis minusve solubilis.

Baryum chloratum.

R. **Barytae carbonicae** . . . . *partes duas,* 2
Aquae destillatae . . . . *partes quinque,* 5
in cucurbitam immissis adde sensim
Acidi hydrochlorati . . . . *partes tres* 3
postremo calefaciendo vim augens. Solutionem adhuc fervidam filtra et evapora leni calore ad siccitatem, massa salina ad pulverem redacta duplo **Spiritus** pondere sedulo conquassando digeratur, tum spiritu defuso in aquae destillatae fervidae duplo pondere soluta et filtrata ad crystallos redigatur.

Sint crystalli diaphanae, rhomboideae, tabulares vel lamellares, coloris expertes, aëre non mutabiles, in aquae frigidae partibus duabus et dimidia, fervidae una et dimidia solubiles. Solutio aquosa sit coloris expers, in chartam

exploratoriam indifferens, argento nitrico et acido sulphurico diluto copiose praecipitetur, neque ammonio caustico neque aqua hydrosulphurata turbetur.

In pulvere cum spiritu conquassato ne sal deliquescens solvatur, neque spiritus colore rubro deflagret.

Benzin.

Praeparatum officinarum propriarum.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris proprii, in aqua fere non solubilis, facilius in spiritu et aethere, ponderis specifici = 0,680 usque ad 0,7, ebulliens in temperatura 60 ad 70°, valde inflammabilis, flamma lucida deflagrans.

Benzoë seu Resina Benzoë.

Styrax Benzoïn *Dryand.* **Benzoïn officinale** *Hayne.*

Massa aut e granis inter se conglutinatis, extus e flavo fuscis, aut ex rubicundo flavis, intus lacteis, nitidis, odoris pergrati vanillacei aut compacta, ex rubicundo fusca, inspersis granis pallidioribus. Cave ne confundas cum resina, sic dicta „Benzoë de Penang vel de Sumatra,“ fere albida, opaca, e glebis constante copiosissimis, albidis, massae pallide fuscae, parcae immersis, odoris storacini et cum aqua et calcaria usta cocta kali hypermanganico odorem olei Amygdalarum amararum praebente.

Resina vulneratione arboris in India orientali indigenae obtinetur.

Bismuthum.

Metallum valde nitidum structuram lamellarem aut crystallinam praebens, facile in pulverem redigendum,

coloris ex subrubicundo argentei, fracturae insigniter lamellosae, acido nitrico perfecte solubile, quae solutio addita aqua excedente valde turbetur.

Ab acido arsenicoso quantum fieri potest liberum.

Bismuthum subnitricum.

R. **Acidi nitrici puri** . . . . *partes novem,* 9
cucurbitae infusis sensim adde

Bismuthi grosso modo pulverati . . *partes duas,* 2
vim, quam habet in acidum, calefaciendo auge. Qua languescente solutis *tantum* **Aquae destillatae** addatur, quantum pondere par sit dimidiae liquoris parti vel simulac praecipitatum album exoriri incipiat. Quo facta subsidant, defundantur et ad crystallisationem usque evaporent, quoad pondus solutionis sit triplum metalli adhibiti. **Crystallorum** parva quantitate aquae acido nitrico paullum acidulatae ablutarum et sedulo contritarum *pars una* misceatur cum **Aquae destillatae** *partibus quatuor*, mixtura in vas, quod **Aquae destillatae fervidae** *partes viginti unam* contineat, effusa probe agitetur. Praecipitatum inde ortum simul atque est refrigeratum, statim filtro separa, ne nimis elue et calore 30^0 non excedenti sicca.

Sit pulvis albissimus, subcrystallinus, ex aciculis et lamellulis constans, aqua humectatus chartam exploratoriam caeruleam colore rubro tingat, addito acido nitrico vel hydrochlorato limpide sine effervescentia solvatur; solutio in acido nitrico aqua parum diluta ne argento nitrico, baryta nitrica et acido sulphurico diluto turbetur. Liquor decoctione pulveris cum decuplo pondere acidi acetici diluti obtentus et post praecipitationem ope aquae hydrosulphuratae filtratus ne in patina porcellanica eva-

poratus residuum relinquat. Cum liquore kali caustici excedente calefactus, aqua diluta et filtrata solutio aqua hydrosulphurata ne turbetur. Praeparato cum vicesima parte acidi sulphurici diluti ad quadrantem partis in balneo vaporis redacto et cum zinco metallico et acido hydrochlorato diluto in apparatu Marshiano commixto et gase exoriente in solutionem argenti nitrici conducto ne argentum nitricum reducatur neve solutio argenti nitrici coloretur.

In vasis bene clausis servetur.

Bismuthum valerianicum.

R. **Bismuthi subnitrici** . . . . *partes duodecim,* . 12
Liquoris Kali caustici . . . *partes tres,* 3
Aquae destillatae . . . . *partes duodecim,* . . 12
digere sub agitatione diligenti per aliquod tempus, tum cum
Aquae destillatae . . . . . *partibus quinquaginta* 50
dilue, calefac, et subsidentia et decantatione, quae cum alia aqua destillata repetatur, sedimentum plane elavetur. Sedimentum humidum in vase porcellanico cum
Acidi valerianici . . . . . *partibus quatuor* 4
mixtum sub agitatione repetita per horas viginti quatuor seponatur et tum in vasis planis porcellanicis loco tepido siccetur.

Sit pulvis albus, acido valerianico valde redolens, in aqua non solubilis, in acido hydrochlorato et acido nitrico solubilis; solutio in acido nitrico ne baryo chlorato neve argento nitrico turbetur.

Bolus Armena.

Terra cohaerens, friabilis, tactu pinguis, e luteo rubra, ex argilla et ferro oxydato constans.

Bolus rubra.

Terra cohaerens, friabilis, tactu pinguis, rubra, ex alumina, alumina silicea et plure ferri oxydati, quam in bolo armena constans.

Borax seu Natrum biboricum.

Praeparatum officinarum propriarum.

Frusta alba, dura, crystallina aut crystalli prismaticae, in aquae frigidae partibus duodecim et fervidae partibus duabus ad solutionem coloris expertem, chartam exploratoriam flavam fuscantem solubilia. Pulvere acido sulphurico humectato et spiritu affuso flamma hujus colorem viridem induat. Solutio diluta aqua hydrosulphurata argento nitrico et baryo chlorato ne turbetur.

Bulbus Scillae.

Urginea Scilla *Steinheil.*

Bulbi squamae intermediae concisae, in sicco corneae, diaphanae, albidae; saporis mucilaginei, nauseosi, amari. Squamae fuscae, tenaces vel humidae rejiciendae.

Herba bulbosa regionis mediterraneae, unde merx advehitur.

Butyrum.

Sit recens, odoris, coloris et salis expers.

Cadmium.

Metallum coloris stanni, ductile, molle, facile fusile et aestu volatile, ab acido nitrico vehementer dissolvatur,

quae solutio addito liquore ammonii caustici excedente ne mutetur, et aqua hydrosulphurata colore flavo praecipitetur. Solutio nitrico-ammoniata addito liquore kali caustici excedente filtrata ne aqua hydrosulphurata albide neve e fusco nigro colore praecipitetur.

Cadmium sulphuricum.

R. **Cadmii** . . . . *partes quatuor,* 4
in cucurbitam immissis adde
Acidi sulphurici puri . . . . . *partes quatuor* 4
antea **Aquae destillatae** . . . . . . *partibus viginti* 20
dilutas et **Acidi nitrici puri** . . . . *partes quinque,* 5
ope lenis caloris fiat solutio, quae in patina porcellanica tamdiu, quam vapores acidi exhalantur, ad siccum evaporet. Residuum in duplo aquae destillatae pondere solutum et filtratum in crystallos redigatur. Sint crystalli coloris expertes, pellucidae, prismaticae, aëre fatiscentes, aqua facile solubiles.

Signa chemica puritatis uti in Cadmio.

In vitro bene clauso serva.

Calcaria.

Frusta quam maxime albida, friabilia, cum aquae parte dimidia inspersa incalescentia et in pulverem subtilissimum dilabentia, in acido hydrochlorato diluto fere sine effervescentia solubilia, quae solutio addito ammonio caustico acido oxalico albe praecipitetur.

In vasis bene obturatis servanda.

Calcaria carbonica nativa.

Calcaria carbonica quam maxime pura adhibeatur.

Calcaria carbonica praecipitata.

R. **Calcariae carbonicae nativae** *partes decem,* 10
solve in **Acidi hydrochlorati,** 25
Aquae destillatae, singulorum *partibus viginti quinque.* 25
Subsidant per aliquot horas, decanta et adde
Liquoris Ammonii caustici circiter *partem unam* . 1
aut tantum, ut aliquid praevaleat. Filtra et adde sub agitatione solutionem filtratam e
Natri carbonici depurati . . . *partibus viginti* 20
in **Aquae destillatae** . . . . *partibus centum.* 100

Stet per aliquot horas, praecipitatum in filtro collige, perfecte elue et in calore leni sicca.

Pulvis albissimus, in acido hydrochlorato effervescentia plane solubilis; aqua conquassatus et filtratus cum argento nitrico aut nullam aut levissimam turbationem praebens.

Calcaria hypochlorosa.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Pulvis albidus, paene siccus, grumosus, odorem chlori similem spargens.

Partes sexaginta hujus et partes quadraginta quinque Ferri sulphurici in partibus mille aquae solutae contritae, et acido hydrochlorato permixtae filtrentur, ab Ferro-Kali cyanato rubro ne caerulescant; praebet igitur calcaria hypochlorosa 10 minimum partes chlori efficacis e 100 partibus.

In vasis bene clausis, a luce remotis, servetur.

Calcaria phosphorica.

Paretur uti **Calcaria carbonica,** nisi quod loco solutionis Natri carbonici solutio

Natri phosphorici *partium viginti quinque* . . . 25
in **Aquae destillatae** . *partibus centum et quinquaginta* 150
sumatur.

Pulvis albissimus, rarus, in aqua pura insolubilis, facile et sine effervescentia in acido nitrico solubilis, aqua acidum carbonicum seu aceticum continenti aliquid solvatur, aqua conquassatus et filtratus cum argento nitrico nullam aut vix ullam turbationem praebens.

Calcium chloratum.

R. **Calcariae carbonicae nativae** *partes decem,* . . . 10
solve in **Acidi hydrochlorati,** 25
Aquae destillatae, singulorum *partibus viginti quinque.* 25
Subsidant per aliquot horas, decanta et adde
Calcariae . . . . *partem unam* . . . 1
aut tantum, ut aliquid praevaleat. Saepius agitando sepone per aliquot horas, filtra et filtratum in vase porcellanico ad siccum evapora.

Pulvis albus, sapore amaro-salino, aëre expositus celeriter deliquescens, in aqua sine residuo et facile solubilis, ignitus fusilis. Solutio aquosa nec spiritu, nec ammonio caustico, nec aqua hydrosulphurata turbetur.

Calcium sulphuratum.

R. **Calcariae aqua inspersa ad pulverem redactae et iterum ignitae,**
Sulphuris sublimati, singulorum *partes aequales,*
intime mixtae in crucibulo probe tecto per semihoram candefiant et massa refrigerata conteratur et statim in vasis bene clausis servetur.

Pulvis e flavo albidus, in aëre humido odorem gasis hydrosulphurati spargens, in aqua ebullienti parum solu-

bilis, in acido hydrochlorato diluto gas hydrosulphuratum abunde emittens ad exiguam partem solvatur.

Camphora.

Camphora officinarum *Nees.* **Laurus Camphora** *L.*

Frusta alba, pellucida, fractura angulosa et irregularia, lamellata, nitida, tenacia, spiritus ope friabilia, in mercatura occurrentia in placentis orbicularibus supra convexis, subtus concavis, odore fragrantissimo, proprio, aromatico, in lingua sensum frigoris relinquentia. Incensa liquescunt, avolant et flamma lucida, fumoque denso deflagrant. Non aqua, facile spiritu, aethere, acido acetico, oleis pinguibus et aethereis solvuntur.

Destillatione cum aqua ligni foliorumque in Japonia et China Camphora cruda obtinetur, quae in Europa sublimatione addita calcaria et carbone repurgatur.

Cantharides.

Lytta vesicatoria *Fabricius.*

Coleoptera sesqui fere ad tria centimetra longa, ex aureo viridia, splendentia, antennis filiformibus, nigris instructa; odoris ingrati.

Mensibus Junio et Julio, dum Fraxinos, Syringas, Ligustra gregatim apud nos depascunt, colligi possunt, cito et omnino exciccata, in vasis clausis **caute** serventur.

Caragaheen.

Sphaerococcus crispus et mamillosus *Agardh.*

Thallus planus vel canaliculatus, dichotomus, laciniis linearibus vel cuneatis, in sicco cartilagineus, coloris

ex subflavo albi, cum aqua coctus ad refrigerationem gelatinam praebens.

Algae polymorphae ad maris Atlantici littora frequentes.

Carbo animalis.

Carnem vitulinam a pinguedine liberam, in frustula dissectam, cum tertia circiter parte ossiculorum torre in vase idoneo, quamdiu vapores extricantur, qui admota flamma incenduntur. Tum residuum in pulverem redige, et in vase vitreo serva.

Sit pulvis e fusco niger, paullulum nitens, odoris vix empyreumatici, in aestu rutilo sine flamma excandescens. Cum acido hydrochlorato solutionem praebeat, quae calcariam phosphoricam prodat.

Carbo pulveratus.

Carbones de ligno levi iterum incandescant, donec nullam amplius flammam largiantur, neque fumant et extinguantur in vase clauso. A cineribus mundati adhuc calentes in pulverem subtilissimum redigantur, quem in vase bene clauso serva.

Sit pulvis niger, siccus, insipidus, in aestu rutilo sine flamma incandescat.

Carboneum sulphuratum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Liquor coloris expers, valde mobilis, lucem maxime refringens, odoris gravis peculiaris, in aqua vix, in spiritu, aethere et oleis facillime solubilis, ponderis specifici = 1,272, in temperatura = 142° ebulliens, perfecte volatilis, inflammatus flamma caerulea ad acidum carbo-

nicum et sulphurosum deflagrans. Charta exploratoria humida ne mutetur, plumbum aceticum solutum conquassatione ne coloretur.

Caricae.

Ficus Carica *L.*

Receptacula piriformia, fructifera carnosa, vertice umbilicata, drupis exiguis, numerosissimis repleta; saporis grate dulcis. Caricae magnae, valde carnosae, perdulces, vulgo Smyrnaeae, praeferantur; nimis exsiccatae, subnigrae, fere insipidae, acidulae vel austerae, ab insectis corrosae rejiciantur.

Arbor lactescens regionis mediterraneae, unde merx advehitur.

Caryophylli.

Caryophyllus aromaticus *L.*

Alabastri hypanthio cylindrico-subtetragono, glanduloso; calyce quadripartito corollaque clausa, subglobosa, caduca, genitalia includente coronato; coloris fusci; odoris fragrantissimi; manducati os vehementer urentes. Sint Caryophylli ponderosi et inter digitos pressi exsudent oleum aethereum; acidi, pallidi, corrugati rejiciantur.

Arbor in insulis Moluccis indigena, inter tropicos totius orbis culta.

Castoreum Canadense.

Castor Americanus *Cuvier.*

Folliculi Sibiricis similes, membranis exterioribus arcte adnatis, haud separabilibus instructi, massa subresinosa, duriore, fractura nitente, odoris debilioris repleti.

Cave ne confundantur cum folliculis factitiis, e resina membranis modo involuta confectis.

Ex America boreali ad nos advehitur.

Castoreum Sibiricum.

Castor Fiber *L.*

Folliculi, saepe duo magis minusve inter se conjuncti, glabri, obovati, obscure fusci, membranis exterioribus duabus crassioribus, facile separabilibus, interioribus duabus tenuioribus, lamellatim cavum castoreo ipso repletum trajicientibus. Hoc massam praebet compactam, recentem e flavo fuscam, paullum unguinosam, siccam fuscam, opacam, friabilem, cum acidis effervescentem; odoris peculiaris gravis.

Non solum ex Sibiria, sed etiam e Polonia, Dania, Germania folliculi adferuntur.

Catechu.

Acacia Catechu *Willd.*

Massae irregulares, foliis involutae et ab iis persectae, extus obscure hepaticae, intus aequaliter ex atro fuscae, porosae, splendentes; odoris expertes, sapore subamaro, valde adstringentes. In aqua partim, in spiritu perfecte solubiles.

Catechu Gambir, ut dicunt, in frustis cubicis, colore obscure fusco, fractura opaca et luti colore, aut in massis, quae nunquam aequaliter coloratae sunt, sed partim hepaticae partim ex atro fuscae, fractura opaca, terrea rejicienda sunt. Nec minus e seminibus Arecae Catechu *L.* paratum Catechu, quod in planis orbicularibus placentis

occurrit, intus ex atro fuscis, splendentibus, extus paleis Oryzae sativae *L.* conspersis.

In India orientali e robore ibidem indigenae arboris decoctione et evaporatione extracti paratur.

Cera alba.

Frusta alba, fragilia, in stratis tenuioribus diaphana, ponderis specifici = 0,96, calore infra 62° haud liquescentia, ceterum cerae flavae naturam praebentia.

Admixta paraffinum, stearinum, cera vegetabilis liquationis gradum imminuunt. Cum acidi sulphurici fumantis partibus quatuor fervefacta cera pura in carbones transit, dum paraffinum ut pinguedo liquefacta, sed post refrigerationem rigescens carbones inducit. Stearinum admixtum nidore cognoscitur, quem cera adulterata prunis injecta diffundit, fit quoque mucilago lubrica, si cera cum solutione e natri carbonici parte una et aquae partibus quinquaginta parata coquitur.

E cera flava per insolationem paratur.

Cera flava.

Apis mellifica *L.*

Massa plus minus flava, fractura granulosa, manus calore mollescens, odoris proprii mellei, calore 60° liquescens, in aetheris partibus viginti calore 15° solubilis.

Prunis injecta cera nidorem pinguem ne spargat, in oleo terebinthinae perfecte sit solubilis, cum spiritu frigido conquassata extractum post evaporationem resinam ne relinquat.

Secreta ab apibus cera expressione et coctione cum aqua melle privata.

Ceratum Aeruginis.

R.	**Cerae flavae**	*partes duodecim,*	**12**
	Picis albae	*partes sex,*	**6**
	Terebinthinae	*partes quatuor.*	**4**

Leni calore liquatis et colatis admisce

Aeruginis subtilissime pulveratae . *partem unam,* **1**

intime mixtas et semirefrigeratas effunde in capsulas papyraceas.

Sit coloris intense viridis.

Ceratum Cetacei.

R. **Cerae albae,**
Cetacei,
Olei Amygdalarum, singulorum *partes aequales.*

Liquefacta in cistulas papyraceas effunde.

Sit albissimum nec rancidum.

Ceratum Cetacei rubrum.

R. **Olei Amygdalarum**	*partes nonaginta,*	**90**
tinge **Radicis Alkannae**	*partibus quatuor,*	**4**

donec colorem gratum induerint, cola et adde

Cerae albae	*partes sexaginta,*	**60**
Cetacei	*partes decem.*	**10**

In vase idoneo liquefactis admisce

Olei Bergamottae,		**1**
Olei Citri, singulorum	*partem unam,*	**1**

et effunde in capsulas papyraceas.

Sit rubrum nec rancidum.

Ceratum Myristicae.

R.	**Cerae flavae**	*partem unam,*	**1**
	Olei Olivarum provincialis . . .	*partes duas,*	**2**
	Olei Myristicae	*partes sex.*	**6**

Liquefiant et in capsulas papyraceas effundantur.

Sit coloris aurantiaci, odoris aromatici.

Ceratum Picis.

R.	**Cerae flavae**	*partes quatuor,*	**4**
	Picis albae	*partes duas,*	**2**
	Sebi ovilli,		**1**
	Terebinthinae, singulorum . . .	*partem unam.*	**1**

Liquefacta in cistulas papyraceas effunde.

Sit tenax, colore flavo.

Cerussa seu Plumbum carbonicum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Massa partim pulveri similis, albissima, digitos inquinans, non in aqua, sed in acido nitrico vel acetico diluto sub effervescentia plane solubilis. Solutio acetica, aqua hydrosulphurata praecipitata, natro carbonico non turbetur.

Caute serva.

Cetaceum.

Physeter macrocephalus *L.*

Massae irregulares, albissimo-nitentes, lamellosae, tactu subpingui-lubricae, subdiaphanae, odoris debilis, saporis mitis, calore 44^0 liquescentes, in spiritu calido et aethere solubiles.

Cetaceum rancidum subflavum rejiciatur.

Pingue proprium in cavitatibus cranio superne impositis ductibusque subcutaneis dorsalibus contentum, elotione, liquatione, tractatione alkali ope repurgatum.

Charta nitrata.

R. **Kali nitrici** . . . . *partem unam,* 1
solve in **Aquae destillatae** . . . . . *partibus quatuor.* 4
Hac solutione imbue chartam bibulam, quam sicca.

Charta resinosa.

R. **Picis nigrae,**
Cerae flavae,
Olei Terebinthinae, singulorum *partes aequales,*
leni igne liquescunt et semirefrigerata supra chartam extenduntur.

Chininum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Pulvis albus, forma carens, raro crystallinus, saporis peramari, in partibus quingentis aquae frigidae solubilis, facilius in aqua fervida, facile solubilis in spiritu, chloroformio, paullo difficilius in aethere. Cum aqua acido sulphurico addito solutionem caeruleo-variam efficiens. Aqua Chlori recens solutionem coloris expertem praebeat, quae ammonio caustico abundante colorem viridem uti smaragdi accipiat. Acidum sulphuricum concentratum ne coloret, addita quidem kali chromici solutione. Calefactus liquescat et residuo nullo remanente deflagrat.

In vasis bene clausis servetur.

Chininum hydrochloratum.

R. **Baryi chlorati** . . . . *partes duodeviginti,* . . **18**
solve in **Aquae destillatae** . . *partibus quingentis,* . . **500**
adde **Chinini sulphurici** . . *partes sexaginta quatuor,* **64**
digere sub agitatione in temperatura 100° per semihoram, filtra et praecipitatum elue
cum **Aquae destillatae** . . . *partibus centum* **100**
et filtratum in temperatura 50—60° in crystallos redigatur, quae inter chartam bibulam exprimantur, et calore quam minimo siccentur.

Sint crystalli albae, prismaticae, nitoris sericei, in aquae ebullientis partibus viginti, in spiritus partibus tribus solubiles; inflammatae sine residuo deflagrent; solutio aquosa cum acido sulphurico nullam, cum baryo chlorato levissimam turbationem praebeat.

In vasis bene clausis servetur.

Chininum sulphuricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli albissimae, tenuissimae, prismaticae, sapore peramaro, in aquae frigidae partibus octingentis, ebullientis partibus triginta, in spiritus partibus sexaginta difficile in aethere solubiles, facile solubiles in aqua, acidum sulphuricum continenti, solutionem caeruleovariam praebentes, quae cum ammonio caustico praecipitatum album, in aethere solubile praebeat. Cum acido sulphurico frigore ne colorentur. Inflammatae sine residuo deflagrent.

Chininum valerianicum.

R. **Chinini puri** . . . . *partes tres,* . **3**
solve in **Spiritus fervidi** . . . . . . *partibus decem,* **10**

adde sub agitatione **Acidi valerianici** . *partem unam* 1
aut tantum, ut aliquid praevaleat, dilue cum

Aquae destillatae fervidae . . . *partibus decem* 10

et solutionem in temperatura 50° non excedente in crystallos redige.

Sint crystalli albae, prismaticae, aut instar matris perlarum nitentes, squamosae, saporis peramari, in aquae frigidae partibus centum et decem, in aquae fervidae partibus quadraginta solubiles, in spiritu facile, difficile in aethere solubiles. In acido sulphurico diluto acidum valerianicum secernentes solubiles.

Inflammatae sine residuo deflagrent.

Chinoidinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Massa sicca, nitens, fusca, resinacea, saporis peramari, in aqua ex parte tantum, in spiritu, aethere et acidis dilutis facile solubilis. Cum aqua fervida conquassata filtratum non coloratum sit, nec addito kali caustico coloretur. Massa sine remanentia deflagret.

Chloroformium.

R. **Calcariae hypochlorosae**
25 usque ad 28 partes chlori efficacis in 100 partibus continentis . . . . *partes viginti,* 20

Aquae communis . . . . *partes octoginta,* 80

in apparatu destillatorio mixta leni igne ad 60—70° calefac, tunc adde inter agitationem

Spiritus . . . . *partes quinque* 5

et celeriter apparatu refrigeratorio junge.

Exacta hora dimidia circiter destillatio spontanea incipit, si haec lentescit, supponendo carbones ardentes adjuves. Destillent circiter partes septem usque ad octo vel donec guttulae chloroformii in fundo exipuli non amplius secernantur. Destillatum pari pondere aquae optime conquassatum separetur a chloroformio, quod iterata vice aqua destillata, tum liquore natri carbonici abluatur, calcii chlorati ope exsiccetur et in balneo vaporis rectificetur.

Liquidum a chloroformio ope aquae secretum ad destillationem repetitam addita calcaria hypochlorosa adhiberi licet.

Sit limpidum, coloris expers, plane avolans, ponderis specifici = 1,492 usque ad 1,496, odoris peculiaris, penetrantis, saporis subdulcis, in aqua aegre, in spiritu, aethere et oleis facile solubile, usque ad 60—61^0 calefactum ebulliens. Aqua cum eo conquassata chartam caeruleam ne permutet, neve argento nitrico turbetur. Cum parte aequali acidi sulphurici conquassatum hocce ne tingat, neve addito kali bichromico in colorem viridem mutetur. Cum natro caustico in spiritu soluto conquassatum liquidum ne calefiat neve gas evolvat.

Caute in vitris optime clausis servetur.

Cinchoninum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli albae, prismaticae, quadrangulare-prismaticae, saporis peramari, in aqua frigida vix, in aqua fervida paullulum, in spiritu plane solubiles, in aethere insolubiles. In aqua acidula facile solubiles, quae

solutio acido sulphurico ne coloretur, ammonio caustico colore albo praecipitetur, praecipitatum aethere ne solvatur. Caute calefactae subliment, aestu aucto sine residuo deflagrent.

Cinchoninum sulphuricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli albae, instar vitri nitentes, prismaticae, saporis amari, in aquae frigidae partibus quinquaginta quatuor, in spiritus partibus sex vel septem solubiles, in aethere insolubiles. Aestu perfecte deflagrent.

Cinnabaris seu Hydrargyrum sulphuratum rubrum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Pulvis laete ruber, ignitus flamma caerulea et sine residuo deflagrans, vapores acidi sulphurosi exhalans; in aqua, spiritu, acidis et alkaliis dilutis insolubilis, in acido chloro-nitroso frigido solubilis. Si acido nitrico conquassatur, color ne mutetur, hoc leniter calefacto et aqua diluto filtratum decolor sit et aqua hydrosulphurata ne nigrescat. Pulvere aqua et liquore kali aut natri caustici sedulo conquassato et calefacto filtratum decolor sit et acido hydrochlorato ne mutetur, sed plumbo acetico albo colore praecipitetur.

Coccionella.

Coccus Cacti *L.*

Granula ooïdea, subtus plana vel concava, supra convexa, transversim rugosa, atropurpurea vel grisea, pulvere

albido adspersa, trita pulverem ex rubro subnigrum praebentia, spiritum rubro colore tingentia.

Plumbum fraudulenter immixtum triturando cum aqua est separandum.

Insecta feminea Opuntiae species nonnullas praesertim in terra Mexicana habitantia.

Coffeinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli albae, sericeo-nitentes, longae, flexibiles, aciculares seu capillares, in aqua fervida et spiritu facile in aethere et chloroformio facillime solubiles. Partes parvae caute calefactae liquescant et subliment sine residuo. In acido sulphurico concentrato et nitrico sine colore sint solubiles. In patinula cum aqua chlori superfusae et ad siccum evaporatae residuum purpureum relinquant, quod per aliquod tempus calefactum flavescat, ammonio caustico addito rubescat.

Colla piscium.

Acipenser Huso *L.*, **Acipenser Sturio** *L.* **et nonnullae aliae species.**

Membranae subcorneae vel in lamellis vel in annulis lyriformi contortis, albidi coloris, tenaces, diaphanae, iridescentes, saporis odorisque expertes, in aqua et spiritu diluto bullientibus fere plane solubiles, solutione post refrigerationem gelatinam praebente.

Flava, fusca, in aqua parum solubilis colla removeatur.

Tunica interior vesicae natatoriae piscium mare Balticum, nigrum, Caspicum habitantium.

Collodium.

R. **Kali nitrici pulverati et siccati** *partes duodeviginti,* 18
Acidi sulphurici crudi . . . *partes quadraginta;* 40
optime mixtis et per sextam horae partem sepositis ingere
Gossypii quam maxime puri . *partes duas* . . . 2
et perage mixtionem tamdiu, donec portiuncula gossypii primum aqua bene elota, tum spiritu expressa in mixtura ex aetheris partibus duabus et spiritus parte una plane solvatur. Praeparatum ita obtentum in aquam ingeratur, perfecte aqua eluatur et spiritui per viginti quatuor horas probe immergatur. Post expressionem huic praeparato adde
Spiritus . . . . *partes duas,* . . . 2
Aetheris . . . . *partes quindecim,* . 15
commixtae conquassentur, deinde subsidant et solutum limpidum a sedimento defundatur.

Sit spissitudinis syrupi. In vasis bene clausis servetur.

Colophonium seu Resina Colophonium.

Picea excelsa *Lk.*, **Pinus silvestris** *L.* **et aliae species Pini.**

Resina ex albido flava vel ex flavo fusca, diaphana, fastidiosa, facile friabilis, fractura late planeque conchata, odoris et saporis fere expers, ad gradus 135 liquescens, in spiritu, aethere, oleis pinguibus et aethereis facile solubilis.

Coquendo terebinthinam coctam seu resinam pini albam usque ad perfectam extricationem aquae obtinetur.

Conchae.

Ostrea edulis *L.*

Sint a sordibus adhaerentibus bene purgandae.

Conchae praeparatae.

Conchae aqua communi decoquantur, scopis setaceis a quisquiliis mundatae et bene ablutae siccentur, tum pulveratae laevigentur. Sit pulvis albus, subtilissimus. Acido nonnullo superfuso effervescat.

Coniinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Liquor coloris expers, flavescens, oleo similis, odoris peculiaris, quam maxime penetrantis, ponderis specifici = 0,89, cum aquae partibus centum liquorem limpidum alkalina reactione praebens. Cum spiritu, aethere, chloroformio et oleis in proportionibus omnibus misceri possit. Gutta una cum guttis decem aquae mixta stratum supernatans acidi hydrochlorati gutta una ad liquorem homogeneum solvatur, qui addito platino chlorato ne turbetur. Calefactus ne turbetur, aestu aucto perfecte volatilis.

Cautissime in vitris bene clausis a luce remotis servetur.

Cortex Cascarillae.

Croton Eluteria, Cascarilla et Sloanei *Bennett.* **et Croton lineare** *Jacquin.*

Cortex durus, in fragmentis canaliculatis vel involutis, ad duo millimetra usque crassis, peridermate tenui, extus candicante, rimis decussatis sulcato, saepe jam partim delapso; cortice interiore extus pariter rimoso, crassiore, coloris ex rubenti fusci, fractura cornea, in seg-

mento transverso radiatim striato, radiis ad fasciculos cuneatos congestis; manducatus os urens, saporis amari, odoris aromatici. Rejiciantur ramuli intermixti.

Adfertur cortex fruticum arborescentium ex insulis Indiae occidentalis, praesertim Bahamensibus.

Cortex Chinae Calisayae.

Cinchona Calisaya *Weddell.*

Liber trunci planiusculus, unum ad duo centimetra crassus, e rufo flavus, in segmento transverso cellulis fibrosis intra parenchyma dissociatis, sed radiatim ordinatis, extus lacunis superficialibus magnis, leviter conchatis, argute marginatis vel saepe partimque rhytidomatis squamis duris instructus, e stratis alternatim obscurioribus et pallidioribus formatis, fractura aequaliter brevissime rigideque fibrata, superficie intima laevi, ob cellulas fibrosas exsertas micante. Praeferatur cortex, quem dicunt Bolivianum, monopolio praeditum. Ne commutetur cum cortice utroque Chinae flavo neve rubiginoso neve Pitoyensi e Nova Granata advectis. Contineat cortex basium, quas dicunt, Chinae partes minimum $3\frac{1}{2}$ in 100 partibus. Hoc ita dignoscitur, ut portiuncula corticis aqua acido sulphurico aut hydrochlorato acidulata plane extrahatur, liquidum ad siccum evaporet, in aqua acidulata iterum solvatur, filtretur, filtratum liquore natri caustici praecipitetur, praecipitatum eluatur, siccetur et ponderetur.

Cortex arboris in Andibus Boliviae et Peruviae australis crescentis ex portu Aricano praesertim ad nos advehitur.

Cortex Chinae fuscus seu griseus.

Cinchona micrantha *Ruiz. et Pavon.*, **Cinchona macrocalyx et Uritusinga** *Pav.*, **Cinchona Condaminea** *Humb.* **et aliae species.**

Cortex ramorum ad tria millimetra fere crassus, in frustis convolutis a pennae anserinae ad digiti minoris crassitiem, strato medio circulo resinoso fere nigro, fractura extrorsum laevi, introrsum fibrata. Adhibeantur cortex de Huanoco dictus, coloris cinnamomei, superficie hinc inde alba, rimis longitudinalibus frequentibus, transversis paene nullis, et cortex, quem dicunt, de Loxa, coloris fusci, superficie cinerea, rimis transversis frequentibus, remotiusculis. Rejiciantur cortices deterioris conditionis, superficie laevissima aut squamoso-rugosa, coloris hepatici aut extus nigricantis, circulo obscuro intracorticali deficiente.

Cortex arborum in Andibus Peruvianis et Aequatorialibus crescentium ex portubus maris pacifici ad nos adfertur.

Cortex Chinae ruber.

Cinchona succirubra *Pavon.* **et altera non satis nota species.**

Frusta plana vel subcanaliculata, dimidium ad duo centimetra crassa, rhytidomate obscure ex fusco rubro, verrucis ovalibus obtecto, frequenter per longitudinem sulcato aut suberoso aut duro; libro crasso, ex subfusco rubro, fibroso, fractura assulatim fibrata, in segmento transverso intra parenchyma cellulis fibrosis radiatim seriatis. Manducatus cortex adstringens, saporis peramari. Rejicienda sunt frustula tenuia, convoluta, levia, palli-

diora. Ne commutetur cum cortice Chinae rubiginoso magis fibroso, coloris subaurantiaci.

Cortex arborum in Andibus reipublicae Aequatorialis crescentium e portu Guayaquilensi evehitur.

Cortex Cinnamomi Cassiae.

Cinnamomum Cassia *Fr. Nees.*

Cortex ramorum interior simpliciter convolutus, ad sesqui millimetra crassus, coloris e flavo fusci, fibris sparsis in superficie parum conspicuis pallidioribus, fractura subaequabili; odoris suavis, manducatus os urens, non mucilaginosus, adstringens, saporis subdulcis.

Ex China ad nos adfertur.

Cortex Cinnamomi Zeylanici.

Cinnamomum Zeylanicum *Breyn.*

Cortex interior ramulorum pluries convolutus, tenuissimus, fragilis, coloris pallide ex flavo fusci, fibris sparsis in superficie conspicuis pallidioribus, fractura dense fibrosa; odoris fragrantis peculiaris, grati, saporis dulcis, manducatus urens et paullum tantum adstringens.

Cortex arboris Zeylanicae, in India orientali et in Cajenna et in Brasilia cultae, ex his terris ad nos adfertur.

Cortex Frangulae.

Rhamnus Frangula *L.*

Cortex convolutus, ad millimetrum crassus, extus canus vel e cano fuscus, verrucis parvis, albis, saepissime transverse porrectis obsitus, vetustior subrimosus, strato suberoso tenuissimo, intus purpureo, desquamante obtectus,

intus ex fuscescente flavus, superficie intima laevigata, rufa, fractura fibrata, fibris citrinis.

Colligatur cortex fruticis indigeni vere e trunco juniori et ramis validioribus.

Cortex Fructus Aurantii.

Citrus vulgaris *Risso.*

Cortex fructus maturi in segmentis ellipticis, quartam pericarpii partem sistentibus, siccatus e flavo fuscus, glandulosus, intus spongiosus, albus; saporis amari, odoris suavis.

Pericarpium arboris in Asia orientali indigenae, in regionibus calidioribus totius orbis cultae, praesertim ex Italia et Gallia ad nos adfertur.

Cortex nonnisi a strato interiore liberatus seu **Flavedo** adhibeatur; huic flavedini Cortex Aurantii Curassavicus tenuior, durior, extus sordide viridis non substituatur, neque commutetur cum pericarpio Citri Aurantii *Risso,* coloris aurantiaci, odoris quoque differentis.

Cortex Fructus Citri.

Citrus Limonum *DC.* **et Citrus Medica** *Risso.*

Cortex fructus maturi siccatus in frustis spiralibus occurrens, extus citrinus, glandulosus, strato interiore spongioso, albo, tenui; odoris grati, saporis subamari.

Arbores in Asia orientali indigenae, in regionibus calidioribus ubique, praesertim in Italia, cultae.

Cortex Fructus Juglandis.

Juglans regia *L.*

Pericarpium drupae maturae exterius recens, a putamine osseo facile secedens, carnosum, extus viride, intus

albidum, subspongiosum, cutem colore fusco tingens; odoris aromatici, saporis adstringentis, amari, subaciduli.

Cortex fructuum arboris e Perside oriundae, nobis frequenter cultae solummodo ad extractum parandum adhibeatur.

Cortex Mezerei.

Daphne Mezereum *L.*

Cortex in fasciis elongatis, tenuibus; peridermate subfusco, facile separabili; cortice medio tenui, viridi; libro tenacissimo, flexili, subtiliter fibrato, bombycino, coloris ex subflavo albidi; peracer.

Colligendus cortex primo vere e trunco et ramis validioribus fruticis indigeni. Corticem Daphnes Laureolae *L.* libro viridi ab illo differentem item licet adhibere.

Cortex Quercus.

Quercus Robur *L.* **et Quercus sessiliflora** *Martyn.*

Cortex ad duo millimetra crassus, extrinsecus fragilis, intrinsecus tenax, fasciatim fibratus; peridermate tenuissimo, separabili, nitido, coloris e cano argentei; cortice medio fusco; libro fuscescente vel flavescente, in segmento transverso anguste tesselato, postea in fascias tenues, angustas, flexibiles distracto; manducatus adstringens, saporis amari.

Colligendus cortex verno tempore trunci junioris vel ramorum ne nimis vetustorum arborum Germaniae frequentium.

Cortex Radicis Granati.

Punica Granatum *L.*

Frusta canaliculata vel convoluta variae magnitudinis, vix ultra sesqui millimetra crassa, extus verrucoso-exaspe-

rata, magis minusve rimosa, ex griseo et subfusco flava, intus e subviridi flava, nec radiatim striata, superficie intima pallide cinnamomea, laevia vel assulis tenuibus, e flavescenti albis adhaerentibus instructa, fractura aequabili; manducata adstringentia, saporis subamari.

Arbuscula in Oriente spontanea, in Africa boreali et Europa meridionali silvescens.

Cortex Salicis.

Salix pentandra, Salix fragilis, Salix alba, Salix purpurea *L.*

Cortex flexilis, ad millimetrum crassus, extus subfuscus vel subviridis, intus laevis, pallide cinnamomeus vel citrinus; libro lamelloso-fibroso, in segmento transverso anguste tesselato; adstringens, saporis amari. Liber acido sulphurico humefactus colorem coccineum ducit.

Colligatur cortex e ramulis bi-vel triennibus arborum et fruticum Europae borealis et mediae primo vere et cito siccetur.

Cortex Ulmi.

Ulmus campestris *L.* **et Ulmus effusa** *Willdenow.*

Liber in lamellis longis, latiusculis, ad duo millimetra usque crassis, flexibilibus, valde fibrosis, coloris extus cinnamomei, intus pallide ex subrubro albidi, in segmento transverso anguste tesselatus; manducatus adstringens et mucilaginosus, saporis subamari.

Cortex arborum per totam fere Europam crescentium verno tempore e trunco juniori vel e ramis ne nimis vetustis colligatur et ab exterioribus stratis purgetur. Ne com-

mutetur cum libro Tiliae densiore et in segmento transverso radiato, radiis ad fasciculos cuneatos, latos dispositis.

Creta seu Calcaria carbonica cruda.

Frusta alba, facile friabilia, in acido hydrochlorato diluto effervescentia odore alieno non nascente fere perfecte solubilia. Haec solutio ammonio caustico vix turbetur. Pro dispensatione laeviganda sunt.

Crocus.

Crocus sativus *L.*

Stigmata siccata, circiter tria centimetra longa, tubulosa quidem, sed subcanaliculato-compressa, sursum sensim dilatata, crenulata, saturate aurantiaca, saepissime stylo luteo, quantum fieri potest brevi insidentia; odoris fragrantis, saporis subamari, masticatione salivam e luteo rubicundam tingentia. Servetur Crocus a luce remotus, cave ab adulterato. Praeferendus est Austriacus, cum deficit, Crocus Gallicus, sic dictus de Gatinais habeatur.

Herba bulbosa Orientalis, in variis Europae regionibus culta, autumno florens.

Cuprum.

Cuprum quam maxime purum tantummodo adhibeatur.

Cuprum aceticum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli obscure virides, prismaticae, aëre fatiscentes, in aquae frigidae partibus quatuordecim, ferventis

partibus quinque solubiles; ammonio caustico plane colore obscure caeruleo solvantur.

Caute et in vitris bene obturatis servetur.

Cuprum aluminatum.

R.	**Cupri sulphurici puri,**		16
	Kali nitrici,		16
	Aluminis, singulorum	*partes sedecim,*	16

pulveratae misceantur, et leni igne in patina porcellanica liquescant. Ab igne remotis celeriter admisce

Camphorae tritae,		1
Aluminis pulverati, singulorum . .	*partem unam*	1

antea mixtas, effunde in porcellanam et massam refrigeratam in frustula diffringe.

Massa ex albo caerulescens, odoris camphorati insignis, in aquae partibus sedecim residuo minimo solubilis.

Caute et in vase bene clauso servetur.

Cuprum carbonicum.

R. **Cupri sulphurici puri** . . .	*partes quinque,* . .	5
solve in **Aquae destillatae** . . .	*partibus triginta,* . .	30

filtra. Filtratum sensim et sub perpetua agitatione instilla in liquorem e

Natri carbonici puri . . .	*partibus sex,* . . .	6
Aquae destillatae	*partibus quadraginta*	40

solutione paratum et filtratum. Praecipitatum filtro collectum aqua destillata sedulo ablue et sicca.

Sit pulvis viridis, in ammonio caustico plane solubilis.

Caute servetur.

Cuprum oxydatum.

R. **Cupri carbonici** . . . . *quantum vis.*

Expone tam diu igni in crucibulo porcellanico, donec acidum carbonicum et aqua perfecte expulsa fuerint et pulvis remanens colorem nigrum traxerit.

Sit pulvis niger, in acido nitrico et ammonio caustico perfecte solubilis.

Caute servetur.

Cuprum sulphuricum ammoniatum.

R. **Cupri sulphurici puri** . . . . . *partem unam,* . 1
solve in **Liquoris Ammonii caustici** . . *partibus tribus,* 3
filtra et misce cum **Spiritus** . . . . . *partibus sex.* . 6

Praecipitatum inde natum filtro separatum inter chartam bibulam non adhibito calore siccetur.

Pulvis crystallinus, saturate caeruleus, aëre fatiscens, in aquae frigidae sesqui partibus solubilis post aliquot tempus alkalino reagente. Liquore kali caustici humefactus odorem ammoniacalem spargat.

Caute in vase bene clauso servetur.

Cuprum sulphuricum crudum.

Praeparatum officinarum chemicarum seu propriarum.

Crystalli caeruleae, rhomboideo-prismaticae vel frusta crystallina, diaphana, in aquae frigidae partibus quatuor aut fervidae partibus duabus perfecte solubilia. In ammonio caustico colore saturate caeruleo ad residuum minimum solubiles.

Caute servetur.

Cuprum sulphuricum purum.

R. **Ramentorum Cupri** . . . *partes decem,* . . . **10**
infunde in patina porcellanica cum
Acidi sulphurici puri . . *partibus septemdecim,* **17**
Aquae destillatae . . . . *partibus sexaginta,* . **60**
Acidi nitrici puri . . . . *partibus viginti.* . . **20**
Initio modice calefac, tunc usque ad bullitum, et si cuprum jam non solvatur, ad siccum evapora.
Residuum siccum solve in **Aquae destillatae** *quadruplo,* filtra et in crystallos redige.

Crystalli diaphanae, cyaneae, klinorhomboideae, aëre sicco lente fatiscentes, in aquae frigidae partibus tribus et dimidia, fervidae partibus aequalibus solubiles, in spiritu non solubiles. Solutio aquosa cum ammonio caustico abundante permixta obscure caeruleum colorem accipiat, sed ne turbetur. Solutio acidulata cum aqua hydrosulphurata praecipitata et filtrata natro carbonico ne turbetur.

Caute servetur.

Decocta.

Decocta, ad quae copia substantiarum adhibendarum non praescriptum est, ita paranda sunt, ut e parte una substantiae partes decem colaturae obtineantur.

Substantiarum majoris efficaciae copia medico omni tempore definienda est.

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

R. **Radicis Sarsaparillae concisae** *partes centum.* . . **100**
Infunde **Aquae communis** *partes duo millia et sexcentas* **2600**
et digere per horas viginti quatuor. Tum additis

Sacchari, ... 6
Aluminis, singulorum pulveratorum *partibus sex* . 6
in vase tecto per horas tres in balneo vaporis saepe agitando calefiant.
Sub finem coctionis adde **Fructuum Anisi vulgaris,** 4
Fructuum Foeniculi, singulorum contusorum *partes quatuor,* 4
Foliorum Sennae concisorum . *partes viginti quatuor,* 24
Radicis Glycyrrhizae concisae . *partes duodecim,* . . 12
cola et residuum exprime. Liquor per aliquot tempus seponatur, deinde defundatur; sit *partium duorum millium quingentarum,* 2500
quas, nisi aliud praescriptum, in doses octo divide.

NB. Si **Decoctum Zittmanni** praescriptum est, eodem modo paretur, nisi quod
Saccharo et Alumini **Hydrargyri chlorati mitis** *partes quatuor,* 4
Cinnabaris praeparatae *pars una* . . 1
sacculo linteo inclusae addentur.

Decoctum Sarsaparillae compositum mitius.

R. **Species ex decocto fortiore residuas,**
Radicis Sarsaparillae concisae *partes quinquaginta,* 50
infunde **Aquae communis** *partes duo millia et sexcentas* 2600
et per horas tres in vase tecto in balneo vaporis saepius agitando calefiant.
Sub finem coctionis adde **Corticis Fructus Citri,** 3
Corticis Cinnamomi Cassiae, . . 3
Cardamomi, ... 3
Radicis Glycyrrhizae, singulorum contusorum *partes tres,* . 3
cola et residuum exprime. Liquor per aliquot tempus seponatur, deinde defundatur; sit *partium duorum millium*

et quingentarum, ... 2500
quas, nisi aliud praescriptum, in doses octo divide.

Digitalinum.

Pulvis albidus aut e viridi subflavus; in aqua difficile, in spiritu facile solubilis; acido sulphurico colorem e rubro nigrum ducit, acido hydrochlorato sine colore solvitur. Haec solutio in calore flavida et e flavo viridis et turbida fit, aqua diluta et filtrata neque ammonio caustico neque tinctura gallarum turbetur. Ignitus deliquescit, intumescit, denique sine residuo deflagrat.

Cautissime servetur.

Elaeosacchara.

R. **Sacchari pulverati** . . . . *partes quinquaginta,* 50
Olei aetheri cujuslibet . . . *partem unam.* . . 1
Misceantur.

Electuarium e Senna.

R. **Foliorum Sennae pulveratorum** . . *partes novem,* 9
Fructuum Coriandri pulveratorum . *partem unam.* 1
Mixtis adde **Syrupi simplicis** . . *partes quadraginta octo,* 48
Pulpae Tamarindorum depuratae . *partes sedecim.* 16

Fiat leni calore in balneo vaporis electuarium spissum, e viride fuscum. Servetur loco frigido et sicco, ne corrumpatur.

Elemi seu Resina Elemi.

Planta ignota in Yucatan indigena.

Massae irregulares, aut solidae aut molles, subdiaphanae, coloris e subviridi citrini aut aurantiaci, odoris

gravis, peculiaris, facile liquescentes, in spiritu ebullienti solubiles. Aliae Elemi species et frustis corticis inquinatae rejiciendae sunt.

Elixir Aurantiorum compositum.

R.	**Corticis Fructus Aurantii concisi** .	*partes sex,* .	6
	Corticis Cinnamomi Cassiae contusi	*partes duas,* .	2
	Kali carbonici puri	*partem unam.*	1
Macera cum	**Vini Hispanici** . .	*partibus quinquaginta,*	50

exprime et in tinctura solve

Extracti Absinthii, ...		1
Extracti Cascarillae, ...		1
Extracti Gentianae, ...		1
Extracti Trifolii, singulorum . .	*partem unam.*	1

Postquam subsederunt, filtra et in vasis bene clausis serva.

Sit limpidum, coloris fusci, odoris peculiaris aromatici, saporis amari.

Elixir e Succo Glycyrrhizae.

R.	**Succi Glycyrrhizae depurati** . . .	*partes duas,*	2
	Aquae Foeniculi	*partes sex.* .	6
Solve et adde	**Liquoris Ammonii anisati** .	*partes duas.*	2

Misce et in vitro bene clauso serva.

Sit turbidum, fuscum.

Emplastrum ad Fontanellas.

R.	**Picis albae**	*partes tres,* . . .	3
	Sebi ovilli	*partem unam,* . .	1
	Emplastri Lithargyri simplicis	*partes triginta sex.*	36

Leni igne liquatas obduce aequabiliter in linteum tenerum, et hoc, charta cerata interposita complicato, ferro cylindrico centimetrorum trium latitudine pertunde.

Sint particulae rotundae, cuti valde adhaerentes.

Emplastrum adhaesivum.

R. **Emplastri Lithargyri simplicis** . . *partes sex,* . 6
Colophonii . . . . *partem unam.* 1

Liquefacta calefiant, donec spuma plane consumta massa olei instar tranquille fluat et colore obscure fusco imbuta appareat.

Sit nitens; vetustum recenti praeferendum.

Ubi Emplastrum adhaesivum nigrum requiritur, permissum est, loco Colophonii Picem nigram adhibere.

Emplastrum Ammoniaci.

R. **Cerae flavae,** 4
Picis albae, singularum . . . . *partes quatuor.* 4
Liquatis, colatis et semirefrigeratis admisce
Ammoniaci pulverati . . . . . *partes sex,* . . 6
Galbani pulverati . . . . *partes duas,* . . 2
antea in **Terebinthinae** . . . . . . *partibus quatuor* 4
in balneo vaporis solutas; in bacillos convolutum serva.

Sit subviride.

Emplastrum aromaticum.

R. **Cerae flavae** . . . . *partes triginta duas,* 32
Sebi ovilli . . . . *partes viginti quatuor,* 24
Terebinthinae . . . . *partes octo.* 8
Liquatis et semirefrigeratis adde
Olei Myristicae . . . . . . *partes sex,* 6

Olibani pulverati . . . . . . *partes sedecim,* . 16
Benzoës pulveratae. . . . . . *partes octo,* . 8
Olei Menthae piperitae, ... 1
Olei Caryophyllorum, singulorum *partem unam.* . 1
Intime mixtas in bacillos in charta cerata servandos forma.

Sit e griseo fuscum, odoris aromatici.

Emplastrum Belladonnae.

R. **Cerae flavae** . . . . *partes quatuor,* 4
Picis albae, ... 2
Colophonii, ... 2
Olei Olivarum, singulorum . . . *partes duas.* . 2
Liquatis per aliquod tempus in eadem temperatura obtentis et semirefrigeratis admisce
Foliorum Belladonnae pulveratorum,
antea probe exsiccatorum . . . *partes quinque,* 5
ope olei Olivarum in bacillos forma, qui ope flammae spiritus in superficie liquefiant.

Sit coloris obscure viridis.

Emplastrum Cantharidum ordinarium.

R. **Cerae flavae** . . . . *partes sex,* 6
Picis albae, ... 3
Olei Olivarum, ... 3
Terebinthinae, singulorum . . . . . *partes tres,* 3
liquatis admisce
Cantharidum grosso modo pulveratarum *partes quinque;* 5
sepone per aliquot horas in balneo vaporis, tum usque ad refrigerationem agita et olei Olivarum ope in bacillos forma, qui ope flammae spiritus in superficie liquefiant.

Sit molliusculum, coloris obscure viridis, particulis nitentibus aequabiliter dispersis.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

R. **Mastiches pulveratae,** 6
Terebinthinae, singularum . . . . *partes sex,* 6
leni calore liquatis admisce
Cantharidum subtiliter pulveratarum *partes duas,* 2
Euphorbii pulverati . . . . *partem unam,* 1
ut fiat emplastrum.

Sit subviride nigrum, durum, fragile.

Emplastrum Cerussae.

R. **Lithargyri subtilissime pulverati** *partes duas,* . . 2
Olei Olivarum . . . . *partes novem.* . 9
Coque in lebete cupreo sub agitatione perpetua instillando interdum aquam calidam donec Lithyrgyrum solutum fuerit. Tum adde
Cerussae subtiliter pulveratae *partes quatuordecim* 14
et coque aquam calidam modice, sed ne humor deficiat, instillando, ut fiat emplastrum, quod refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit album, ponderosum, durum, calore modico tenax.

Emplastrum Conii.

Paretur ex **Herba Conii pulverata** uti **Emplastrum Belladonnae.**

Sit obscure viride.

Emplastrum foetidum.

R. **Ammoniaci pulverati** . . . . . *partes viginti,* 20
Asae foetidae . . . . *partes octo.* . 8
Liquefiant in balneo vaporis cum **Terebinthinae,** 1

Olei Olivarum, singulorum . . . *parte una* . . 1
et admisce **Saponis domestici pulverati** *partes quatuor,* 4
ut fiat emplastrum.

Sit tenax, e griseo fuscum.

Emplastrum fuscum.

R. **Minii subtilissime pulverati** *partes triginta duas,* . 32
Olei Olivarum . . . . . *partes sexaginta quatuor.* 64
Coque in lebete cupreo sub perpetua agitatione, donec colorem e nigro fuscum induant, tum adde
Cerae flavae . . . . . *partes sedecim* . . . 16
et effunde in capsulas papyraceas.

Sit coloris e nigro fusci, molle et tenax.

Emplastrum fuscum camphoratum.

R. **Emplastri fusci** . . . . *partes centum,* 100
liquatis adde **Camphorae** . . . . . . *partem unam* 1
antea in pauxillo Olei Olivarum solutam, et effunde in capsulas papyraceas.

Sit camphoram redolens.

Emplastrum Galbani crocatum.

R. **Emplastri Lithargyri simplicis** *partes viginti quatuor,* 24
Cerae flavae . . . . . . *partes octo.* 8
Liquefactis et semirefrigeratis admisce
Galbani depurati . . . . *partes viginti quatuor,* 24
antea in **Terebinthinae** . . . . *partibus sex* . . . 6
in balneo vaporis solutas, et **Croci pulverati** *partem unam,* 1
cum **Spiritu** ad pultem contritam.

Refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit e flavo fuscum, leni calore ductile.

Emplastrum Hydrargyri.

R. **Hydrargyri depurati** . . . *partes octo,* 8
Terebinthinae . . . . . . *partes quatuor.* . . . 4

Contere exactissime addita **Olei Terebinthinae** aliqua parte donec oculo nudo nulli globuli Hydrargyri appareant, tum sub perpetua agitatione adde sensim miscellam liquefactam ex

Emplastri Lithargyri simplicis *partibus viginti quatuor,* 24
Cerae flavae . . . . . . *partibus sex.* . . . 6

Exactissime mixtum et refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit cinereum, ponderosum, oculo non armato globuli hydrargyri conspicui sint nulli.

Emplastrum Hyoscyami.

Paretur e **Foliis Hyoscyami pulveratis** uti **Emplastrum Belladonnae.**

Sit molliusculum, obscure viride.

Emplastrum Lithargyri compositum.

R. **Emplastri Lithargyri simplicis** *partes viginti quatuor,* 24
Cerae flavae . . . . . . *partes tres.* 3

Leni calore liquatis et semirefrigeratis adde

Ammoniaci pulverati, ... 2
Galbani pulverati, ... 2
Terebinthinae, singulorum . *partes duas,* . . . 2

antea in balneo vaporis liquefactas. Misce bene et refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit emplastrum e fusco flavum, tenax.

Emplastrum Lithargyri simplex.

R. **Olei Olivarum,**
Adipis suilli,
Lithrargyri subtilissime pulverati, **singulorum** *partes aequales.*

Coque moderato igne spathula semper agitando et Aqua communi calida interdum instillanda, donec fiat emplastrum, quod refrigeratum in bacillos forma.

Sit subalbum, tenax, non unguinosum, Lithargyri non soluti nihil continens.

Emplastrum Meliloti.

Paretur ex **Herba Meliloti pulverata** uti **Emplastrum Belladonnae.**

Sit molliusculum, obscure viride.

Emplastrum opiatum.

R. **Elemi** . . . . *partes quatuor,* 4
Terebinthinae . . . . *partes sex.* . 6

In balneo vaporis liquatis adde antea mixtas
Masticbes pulveratae, ... 4
Olibani pulverati, singulorum . . *partes quatuor,* 4
Benzoës pulveratae . . . . *partes duas,* . 2
Opii pulverati . . . . *partem unam.* 1

Bene mixtae fiant emplastrum.

Sit fuscum, tenax, odoris resinosi.

Emplastrum oxycroceum.

R. **Cerae flavae,** 6
Colophonii, ... 6

Picis albae, singulorum . . . . . *partes sex,* . 6
leni igne liquatis et colatis adde
Ammoniaci pulverati, ... 2
Galbani pulverati, singulorum . . *partes duas,* . 2
antea in **Terebinthinae** . . . . *partibus tribus* 3
solutas. Tum **Mastiches pulveratae,** 2
Myrrhae pulveratae, ... 2
Olibani pulverati, singulorum . . *partes duas,* . 2
Croci pulverati . . . . *partem unam* 1
antea contritas intime admisce et in bacillos convolve.

Sit e rubro fuscum, tenax.

Emplastrum Picis compositum.

R. **Picis albae** . . . . *partes triginta duas,* 32
Cerae flavae, ... 12
Terebinthinae, singularum . *partes duodecim,* . 12
in balneo vaporis liquatis admisce
Euphorbii pulverati . . . . *partes tres,*
ut fiat emplastrum.

Sit flavum.

Emplastrum saponatum.

R. **Emplastri Lithargyri simplicis** *partes septuaginta duas,* 72
Cerae flavae . . . . *partes duodecim,* . . 12
leni igne liquatis et semirefrigeratis agitando admisce
Saponis oleacei pulverati bene sicci *partes sex,* . 6
Camphorae . . . . *partem unam* . . . 1
in **Olei Olivarum** pauxillo solutam. Emplastrum refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit albidum, molliusculum, non lubricum.

Emplastrum Tartari stibiati.

R. **Tartari stibiati subtilissime pulverati** *partem unam,* 1
Cerati Picis . . . . *partes septem.* 7
Misce. Paretur ex tempore.

Emulsiones.

Emulsiones e seminibus lege artis e **seminis praescripti** *partibus duabus* ad colaturae *partes decem* parentur.

Emulsiones oleosae ex **Olei Amygdalarum aut olei cujuslibet praescripti** . . . . . *parte una,* . 1
Gummi Arabici pulverati . . . . *parte dimidia,* . 1/2
Aquae communis . . . *partibus octo cum dimidia* 8 1/2
lege artis parentur.

Euphorbium.

Euphorbia resinifera *Berg.*

Frustula sordide subflava, globoso triangularia, lentis usque ad Avellanae magnitudine, uno usque ad tribus foraminibus saepe praedita, friabilia, diaphana, odoris expertia, pulverata sternutamentum vehementissimum excitantia. In aqua, spiritu et aethere pro parte solubilia. A ramulorum fructuumque partibus saepe admixtis quam maxime liberatum **caute** servetur.

Succus lacteus aëre induratus fruticis in Africae Atlante indigeni.

Extracta.

Substantiae ad extracta paranda adhibendae minutim et aequaliter concidantur aut contundantur; aqua, nisi

destillata praescripta est, calcariae carbonicae quam minimam copiam continens adhibeatur.

Maceratio fiat temperatura 10—20°, digestio temperatura 35—40° saepius agitando.

Liquores aquosi statim ad tertiam partem sui voluminis evaporent, tum loco frigido per aliquot dies subsidant et a sedimento liberentur; liquores spirituosi aut aetherei decantati et filtrati sub perpetua agitatione in balneo vaporis ad extractum evaporent. Aetherem et spiritum adhibitum antea destillatione detrahere licet.

Balneum vaporis ita sit instructum, ut liquores, qui in eo evaporent, aquae ebullientis calorem superare non possint; evaporatio liquorum aethereorum autem temperaturam 50° non superet.

Extracta, quod ad spissitudinem pertinet, in tribus gradibus paranda, haec sunt:

1) **tenuiora**, quae mellis recentis sunt densitate,
2) **spissiora**, quae refrigerata nequeunt effundi, sed spathula in fila distrahi possunt,
3) **sicca**, quae possunt conteri; parentur ita, ut extracta in vase porcellanico evaporent, donec massa tenax et post refrigerationem friabilis facta sit, quae adhuc calida spathula vase exemta in taenias extenuata in chartam imponatur, leni calore siccetur et in pulverem grossum aut in grumulos redacta statim in vas calefactum immittatur.

Extracta spissiora in vasis fictilibus vitreatis vel porcellanicis bene tectis, tenuiora et sicca in vasis vitreis, obturamentis suberinis clausis, omnia vero extracta loco frigido et sicco serventur.

Habeant odorem et saporem substantiarum, e quibus parata sunt, et cupro et stanno libera sint.

Extractorum spissiorum narcoticorum copiam parvam cum Radice Glycyrrhizae pulverata mixtam ad pulveres mixtos parandos praesto esse licet. Qui sic conficiantur, ad **Radicis Glycyrrhizae subtiliter pulveratae** *partes quatuor* in patina porcellanica calefacta sensim misceatur **Extracti** *eadem quantitas* et temperatura 40—50° siccentur, donec pondus non amplius diminuatur. Massa sicca adhuc calida conteratur eique **Radicis Glycyrrhizae subtiliter pulveratae** *tantum* addatur, ut extracti adhibiti copia duplicata sit. Hujus pulveris pensetur copia duplo major, quam quae extractorum ordinariorum praescripta fuerit.

Extractum Absinthii.

R.	**Herbae Absinthii**	*partes duas,*	2
	Spiritus, ...		6
	Aquae communis, singulorum . . .	*partes sex,* .	6

digere per viginti quatuor horas, exprime et residuo affunde

	Spiritus, ...		3
	Aquae communis, singulorum . . .	*partes tres,*	3

post iteratam digestionem per viginti quatuor horas et expressionem paretur e liquoribus commixtis extractum spissum.

Sit e viridi fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Aconiti.

R.	**Tuberum Aconiti**	*partes duas,* .	2
	Spiritus diluti	*partes quatuor,*	4

macera per dies octo saepius conquassando in vase clauso, tum liquorem exprime. Residuo affunde

Spiritus diluti . . . . *partes tres,* . 3

macera per dies quatuor uti antea et exprime. E tincturis mixtis paretur extractum spissum.

Sit coloris e flavo fusci, in aqua colore e flavo fusco turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Aloës.

R. **Aloës** . . . . *partem unam,* 1

Aquae destillatae fervidae . . . . *partes quatuor,* 4

agita donec Aloë soluta appareat, decanta post horas quadraginta octo liquorem, cola et ad extractum siccum evaporet.

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solvatur.

Extractum Arnicae.

R. **Florum Arnicae** . . . . *partem unam,* 1

Radicis Arnicae . . . . *partes duas,* . 2

Spiritus diluti, ... 8

Aquae fontanae, singulorum . . . *partes octo,* . 8

macera per biduum, exprime, residuo affunde

Spiritus diluti, ... 4

Aquae fontanae, singulorum . . . *partes quatuor,* 4

iterum per biduum maceratis exprime et para e tincturis mixtis extractum spissum.

Sit e nigro fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Aurantii.

Paretur e **Cortice Aurantii** uti **Extractum Colombo,** nisi quod extractum spissius.

Sit e rubro fuscum, in aqua fere limpide solubile.

Extractum Belladonnae.

R. **Foliorum et Ramulorum recentium**
Belladonnae florescentis . . . . *partes viginti,* 24
Aquae fontanae . . . . *partem unam,* 1
in mortario lapideo contusa fortiter exprimantur, quod
Aquae fontanae . . . . *partibus tribus* 3
affusis iterum fiat. Liquores commixti ad 100° calefacti colentur et in balneo vaporis ad *partes duas* . 2
evaporent. Quo facto
Spiritus . . . . *partibus duabus* 2
admixtis per horas viginti quatuor seponantur et interdum conquassentur; deinde per linteum colentur. Residuum vehementer expressum cum
Spiritus diluti . . . . *parte una* . . 1
conteratur ac denuo exprimatur. Liquores obtenti misceantur, filtrentur et ad extracti spissioris densitatem evaporent.

Sit obscure fuscum, in aqua colore fusco turbide solvatur.

Caute servetur.

Extractum Calami.

Paretur e **Rhizomate Calami** eodem modo quo **Extractum Absinthii.**

Sit e rubro fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Cannabis Indicae.

R. **Herbae Cannabis Indicae** . . . . *partem unam,* 1
Spiritus . . . . *partes sex,* . . 6
digere per triduum, exprime, residuo affunde
Spiritus . . . . *partes quatuor,* 4

ut antea digestis exprime. E tincturis commixtis extractum spissius paretur.

Sit e nigro viride, in aqua non solvatur.

Extractum Cardui benedicti.

R. **Foliorum Cardui benedicti** . . . *partem unam,* 1
Aquae fervidae . . . . *partes sex,* . 6
digere per horas sex et exprime. Residuo affunde
Aquae fervidae . . . . *partes tres,* . 3
digere ut ante et exprime. E liquoribus commixtis extractum spissius paretur.

Sit fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Carnis.

R. **Carnis vaccinae** macrae, et pingui et ossibus liberatae, minutim concisae . . . . *partes decem,* 10
contunde cum **Aquae fontanae** . . . *parte una* . 1
in mortario lapideo ad pultem aequabilem, adde
Aquae fontanae . . . . *partes viginti,* 20
digere in lebete stanneo saepius agitando in balneo vaporis per horam unam, tum cola et exprime.
Carnem expressam agita cum
Aquae fontanae fervidae . . . . *partibus decem* 10
et iterum exprime. Liquores commixti evaporent ad
partes tres 3
et refrigeratis pingui rigido colando liberentur, tum liquor limpidus ad densitatem extracti spissioris evaporet.

Sit fuscum, in aqua limpide solvatur.

Extractum Cascarillae.

R. **Corticis Cascarillae** . . . . . . *partem unam,* . 1
Aquae fontanae ebullientis . . . *partes quatuor,* 4

stent per horas duodecim, saepius agitando, tum cola et exprime. Residuo affunde

Aquae fontanae ebullientis . . . *partes duas,* . 2

et fac ut antea. Liquores commixti decantatione depurati ad densitatem extracti spissioris evaporent.

Sit obscure fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Centaurii.

Paretur ex **Herba Centaurii** uti **Extractum Cardui benedicti.**

Sit e rubro fuscum, in aqua limpide solvatur.

Extractum Chamomillae.

R. **Florum Chamomillae** . . . . . . *partes duas,* . 2
Spiritus, ... 8
Aquae communis, singulorum . . *partes octo,* . 8

digere per horas viginti quatuor, exprime et residuo affunde

Spiritus, ... 4
Aquae communis, singulorum . . *partes quatuor,* 4

post iteratam digestionem per horas viginti quatuor et expressionem paretur e liquoribus commixtis extractum spissum.

Sit e viride fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Chelidonii.

Paretur ex **Herba florescenti Chelidonii** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit obscure fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Chinae.

R. **Corticis Chinae fusci** . . . . . *partem unam,* 1
Spiritus diluti . . . . *partes quatuor,* 4
digere per horas viginti quatuor interdum agitando, exprime et residuo affunde
Spiritus diluti . . . . *partes duas,* 2
post iteratam digestionem per horas viginti quatuor et expressionem paretur e liquoribus commixtis extractum spissum.

Sit fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Chinae frigide paratum.

R. **Corticis Chinae fusci** . . . . . *partes duas,* . 2
Aquae destillatae . . . . . . *partes duodecim,* 12
macera per biduum, exprime. Residuum macera eadem ratione cum
Aquae destillatae . . . . . . *partibus sex* . 6
et fortiter exprime. Liquores commixti a sedimento decantentur, evaporent ita, ut pars una et dimidia restet; refrigeratum et filtratum evaporet ad extractum spissius.

Sit e rubro fuscum, in aqua turbidule solvatur.

Extractum Cinae.

R. **Florum Cinae** . . . . *partem unam,* 1
Aetheris, ... $1^1/_2$
Spiritus, singulorum . . *partem unam et dimidiam,* $1^1/_2$
macera per triduum, liquore defuso residuum exprime et denuo affusis
Aetheris, ... 1
Spiritus, singulorum . . *parte una* 1

operationem repete. E tincturis commixtis et filtratis extractum tenuius paretur.

Sit obscure viride, in aqua non solubile.

Extractum Colocynthidis.

R. **Fructus Colocynthidis a seminibus liberati**

partem unam, 1

Spiritus, ... 6

Aquae communis, singulorum . . . *partes sex,* . 6

digere per dies tres et exprime. Residuo affunde

Spiritus, ... 4

Aquae communis, singulorum . . . *partes quatuor* 4

et operationem uti antea repete. E tincturis filtratis paretur extractum siccum.

Sint grumuli subfusci, cerae instar splendidi, in aqua turbide solvantur.

Caute servetur.

Extractum Colocynthidis compositum.

R. **Extracti Colocynthidis** . . . . . *partes tres,* . 3

Aloës pulveratae . . . . *partes decem,* . 10

Resinae Scammonii . . . . *partes octo,* . 8

Extracti Rhei . . . . *partes quinque.* 5

Misce et sicca, ut fiat pulvis grossus fuscus.

Extractum Colombo.

R. **Radicis Colombo** . . . . *partem unam,* 1

Spiritus, ... 2

Aquae communis, singulorum . . *partes duas,* . 2

digere per dies tres, exprime et residuo affunde

Spiritus, ... 1

Aquae communis, singulorum . . *partem unam.* 1

Post iteratam digestionem per dies tres exprime et e liquoribus commixtis, filtratis paretur extractum siccum.

Sint grumuli e subflavo fusci, in aqua turbide solubiles.

Extractum Conii.

Paretur ex **Herba Conii** uti **Extractum Belladonnae.**
Sit fuscum, in aqua turbide solubile.
Caute servetur.

Extractum Corticis Fructuum Juglandis.

R. **Corticis Fructuum Juglandis recentis** *partes decem,* 10
Aquae communis . . . . *partem unam;* 1

in mortario lapideo contunde et exprime, succus colatus evaporet in vase fictili vitreato ad extracti spissioris consistentiam.

Sit e nigro fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Cubebarum.

R. **Fructuum Cubebae** . . . . . . *partem unam,* . 1
Aetheris . . . . *partes tres,* . . 3

macera per triduum, liquore defuso residuum exprime, et denuo affusis

Aetheris . . . . *partibus duabus,* 2

operationem repete. E tincturis commixtis filtratis paretur extractum tenuius.

Sit obscure viride, in aqua non solubile.

Extractum Digitalis.

Paretur e **Foliis et Ramulis Digitalis florescentis recentibus** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit obscure fuscum, in aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Dulcamarae.

Paretur e **Stipitibus Dulcamarae** uti **Extractum Cardui benedicti**, nisi quod **Aquae fervidae** *partes quatuor* et postea *partes duae* adhibeantur.

Sit e fusco nigrum, in aqua limpide solubile.

Extractum Ferri pomatum.

R. **Fructuum Mali acidulorum bene contritorum**
partes quadraginta octo. 48

Fructus in pultem redacti exprimantur; liquor subsidat et coletur, deinde in balneo vaporis temperaturae 95—100° cum **Ferri pulverati** . . . . *parte una* 1 tamdiu calefiat, quamdiu ferrum solvatur. Liquorem sepone per aliquod tempus interdum agitando, tum filtretur et in vase fictili vitreato ad extracti spissioris densitatem evaporet.

Sit e viridi nigrum, in aqua fere limpide solvatur.

Contineat in centum partibus non minus quam sex partes ferri.

Extractum Filicis.

Paretur e **Rhizomate Filicis recenter siccato et pulverato** uti **Extractum Cubebarum.**

Sit subviride, in aqua non solubile.

Extractum Foliorum Juglandis.

Paretur e **Foliis Juglandis recens siccatis** uti **Extractum Absinthii.**

Sit fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Frangulae.

Paretur e **Cortice Frangulae** uti **Extractum Dulcamarae.**

Sit e flavo fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Gentianae.

Paretur e **Radice Gentianae** uti **Extractum Cardui benedicti**, nisi quod loco aquae fervidae aqua frigida adhibeatur.

Sit fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Glycyrrhizae.

Paretur e **Radice Glycyrrhizae** uti **Extractum Gentianae.**

Sit e flavo fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Graminis.

R. **Rhizomatis Graminis** . . . . . . *partem unam*, 1
Aquae communis fervidae . . . . *partes sex*, . 6
digere per horas sex, tum cola. Liquor colatus statim evaporet ad syrupi consistentiam.

Una pars hujus iterum in *quatuor partibus* **Aquae destillatae** solvatur, filtretur et ad extractum spissius evaporet.

Sit e rubro fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Gratiolae.

Paretur ex **Herba Gratiolae** uti **Extractum Absinthii.**
Sit e viridi fuscum, in aqua turbide solubile.
Caute servetur.

Extractum Guajaci.

Paretur e **Ligno Guajaci** uti **Extractum Absinthii.**
Sit e viridi nigrum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Helenii.

Paretur e **Radice Helenii** uti **Extractum Colombo.**
Sit fuscum, in aqua turbide solvatur.

Extractum Hellebori.

Paretur e **Radice Hellebori viridis** uti **Extractum Aconiti.**

Sit intense fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Hyoscyami.

Paretur e **Foliis et Ramulis Herbae Hyoscyami florescentis** uti **Extractum Belladonnae.**
Sit e subviridi fuscum, in aqua turbide solubile.
Caute servetur.

Extractum Ipecacuanhae.

R.	**Radicis Ipecacuanhae**	*partem unam,*	1
	Spiritus	*partes tres,* . .	3

macera per triduum, tum residuum exprime et iterum affunde

Spiritus . . . . *partes duas,* . . 2

et fac ut antea. Liquores commixti ad densitatem extracti spissi evaporent, e quo in

Aquae destillatae . . . . . . *partibus quatuor* 4

soluto et filtrato extractum siccum paretur.

Sit pulvis luteus, in aqua limpide solubilis.

Caute servetur.

Extractum Lactucae.

Paretur ex **Herba Lactucae florescenti recenti** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit fuscum, in aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Ligni Campechiani.

R. **Ligni Campechiani** . . . . *partem unam,* 1

Aquae communis . . . . *partes octo,* 8

coque ad dimidiam, cola et repete coctionem ligni cum

Aquae communis . . . . *partibus sex.* 6

Cola, exprime et e liquoribus commixtis et decantatis paretur extractum siccum.

Sint grumuli e rubro fusci, in aqua turbide solubiles.

Extractum Lupuli.

R. **Fructuum Lupuli** . . . . *partem unam,* 1

Spiritus diluti . . . . *partes octo,* . 8

digere per dies tres, exprime, residuo affunde

Spiritus diluti, ... 2

Aquae communis, singulorum . . . *partes duas,* 2

iterum digere per dies tres, exprime et e filtratis et commixtis liquoribus para extractum spissioris consistentiae.

Sit e viridi fuscum, in aqua partim solubile.

Extractum Marrubii.

Paretur ex **Herba Marrubii** uti **Extractum Cardui benedicti**, nisi quod loco aquae fervidae aqua temperaturae 35° adhibeatur.

Sit obscure fuscum, in aqua limpide solvatur.

Extractum Mezerei.

R. **Corticis Mezerei** . . . . *partem unam*, 1
Spiritus . . . . *partes quatuor*, 4
digere per triduum, exprime, residuo affunde
Spiritus . . . . *partes tres*, . 3
operatio repetatur et e liquoribus commixtis extractum tenuius paretur.

Sit subviride, in aqua non solubile.

Caute servetur.

Extractum Millefolii.

Paretur e **Foliorum et Florum Millefolii** *partibus aequalibus* uti **Extractum Absinthii.**

Sit e viridi fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Myrrhae.

R. **Myrrhae** . . . . *partem unam*, 1
Aquae destillatae . . . . *partes quatuor*, 4
macera per biduum, decanta, residuo affunde
Aquae destillatae . . . . *partes duas*, . 2

macera per diem, decanta, et e liquoribus commixtis et colatis extractum siccum paretur.

Sit pulvis flavus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Opii.

R. **Opii siccati concisi** . . . . *partem unam,* . 1
Aquae destillatae . . . . *partes quatuor,* 4
macera per horas viginti quatuor, cola et exprime. Residuo affunde
Aquae destillatae . . . . *partes tres,*
macera per horas viginti quatuor, cola, exprime et e liquoribus commixtis filtratis extractum siccum paretur.

Sit pulvis e rubro fuscus, in aqua turbide solvatur.

Caute servetur.

Extractum Pimpinellae.

Paretur e **Radice Pimpinellae** uti **Extractum Colombo** extractum spissius.

Sit fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Polygalae.

Paretur ex **Herba Polygalae** uti **Extractum Cardui benedicti.**

Sit fuscum, in aqua fere limpide solvatur.

Extractum Pulsatillae.

Paretur ex **Herba Pulsatillae florescenti et recenti** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit fuscum, in aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Quassiae.

Paretur e **Ligno Quassiae** uti **Extractum Ligni Campechiani.**

Sit fuscum, in aqua turbide solubile.

Extractum Ratanhae.

Paretur e **Radice Ratanhae** uti **Extractum Gentianae** extractum siccum.

Sit pulvis splendens, e nigro rufus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Rhei.

Paretur e **Radice Rhei** uti **Extractum Absinthii.**

Sit e flavo fuscum, in aqua limpide solvatur.

Extractum Rhei compositum.

R.	**Extracti Rhei**	*partes tres,* . .	3
	Extracti Aloës	*partem unam,* .	1
	Aquae destillatae	*partes quatuor.* .	4

Leni calore solutis admisce

Saponis jalapini	*partem unam* .	1
in **Spiritus diluti**	*partibus quatuor*	4

solutam et evaporent ad siccum.

Sit pulvis e nigro fuscus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Sabinae.

Paretur e **Summitatibus Sabinae** uti **Extractum Absinthii.**

Sit e viridi fuscum, in aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Sarsaparillae.

Paretur e **Radice Sarsaparillae** uti **Extractum Colombo.**

Sit pulvis e rubro fuscus, in aqua fere limpide solubilis.

Extractum Scillae.

R. **Bulbi Scillae** . . . . *partem unam,* 1
Spiritus diluti . . . . *partes quatuor,* 4
macera per dies quatuor, tum cola et exprime. E liquore decantato, filtrato paretur extractum spissum.

Sit e flavido fuscum, in aqua sublimpide solubile.

Extractum Secalis cornuti.

R. **Secalis cornuti** . . . . *partem unam,* 1
Aquae destillatae . . . . *partes duas,* . 2
macera per horas sex, cola, exprime, residuo affunde iterum
Aquae destillatae . . . . *partes duas* . 2
et fac ut antea. Liquores colati, commixti evaporent ad syrupi tenuioris consistentiam,
adde **Spiritus diluti** . . . . *partem unam,* 1
saepius conquassando per diem sepone, filtra et evaporent ad extractum spissius.

Sit e rubro fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Senegae.

Paretur e **Radice Senegae** uti **Extractum Colombo.**

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solubilis.

Extractum Sennae.

R. **Foliorum Sennae** . . . . *partem unam,* 1
Aquae communis tepidae . . . . *partes quatuor,* 4
macera per horas viginti quatuor, cola, exprime, residuo affunde iterum
Aquae communis tepidae . . . . *partes quatuor* 4
et fac ut antea. Liquores decantando et colando depurati ad extracti spissioris densitatem evaporent, refrigeratos
in Aquae destillatae *quadruplo*
solve, solutum filtra et ad extractum spissius evaporet.

Sit e nigro fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Stramonii.

Paretur e **Foliis Stramonii recentibus** uti **Extractum Belladonnae.**

Sit e nigro fuscum, in aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Strychni.

R. **Seminis Strychni grosso modo pulverati**
partes duas, . 2
Spiritus diluti . . . . *partes quatuor,* 4
digere per biduum, decanta et exprime. Residuo affunde
Spiritus diluti . . . . *partes tres* . 3
et fac ut antea. E tincturis mixtis et filtratis paretur extractum siccum.

Sit pulvis fuscus, in aqua turbide solubilis.

Caute servetur.

Extractum Taraxaci.

Paretur e **planta tota Taraxaci florescenti et siccata** uti **Extractum Cardui benedicti.**

Sit fuscum, in aqua limpide solubile.

Extractum Trifolii.

Paretur e **Foliis Trifolii** uti **Extractum Cardui benedicti.**

Sit e nigro fuscum, in aqua limpide solvatur.

Extractum Valerianae.

Paretur e **Radice Valerianae** uti **Extractum Colombo** extractum spissius.

Sit e nigro fuscum, in aqua turbide solvatur.

Farina Hordei.

Hordeum vulgare *L.* **Hordeum distichum** *L.*

Fel Tauri.

Bos Taurus *L.*

Sit recentissimum; putridum, odoris foetidi rejiciatur.

Fel Tauri depuratum siccum.

R. **Fellis Tauri recentis,**
Spiritus, singulorum *partes aequales.*

Misceantur exacte; mixta aliquamdiu seposita filtrentur; quo facto ex liquore spiritus in balneo vaporis destillet.

Residuo saepius agitando **Carbonis animalis** humidi, antea **Acido hydrochlorato** depurati, sensim tantum addatur, ut liquoris portiuncula exemta et filtrata coloris sit subflavi, tum filtretur liquor, in extractum siccum redigatur et in vase bene clauso servetur.

Sit pulvis e subflavo albus, eodem colore in aqua et spiritu limpide solubilis, facile humescens, ignitus residuum relinquens exiguum album, quod reactionem alkalinam praebeat.

Fel Tauri inspissatum.

Fel Tauri recens, calefactum, per linteum colatum in vase porcellanico in balneo vaporis sub continua agitatione ad extracti spissioris consistentiam evaporet.

Sit coloris e subfusco viridis, in aqua solutione limpida, subviridi solubile.

Ferro-Kalium cyanatum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli magnae, cohaerentes, flavae, e brevibus quadratis columnis aut tabulis constantes, in aëre non fatiscentes, in aquae frigidae partibus quatuor, fervidae partibus duabus solubiles, in spiritu insolubiles. Acido sulphurico diluto superfuso ne effervescant, quo cum calefactae acidum hydrocyanatum extricetur. Solutio cum solutionibus valde dilutis salium ferri oxydati praecipitatum caeruleum praebeat. Aquae destillatae quantitate magna diluta solutio baryo chlorato ne turbetur.

Ferrum.

Adhibeatur aut in filis aut limatum aut in ramentis tortis, oxydo liberum, coloris ex albido grisei, splendens, vim magneticam facillime indicet et magnete attrahatur.

Addito acido hydrochlorato diluto excedente ne nimium residui relinquat, neve gas hydrogenii odoris nimis foetidi impraegnatum sit. Solutio eadem aqua diluta addito Ferro-Kalio cyanato colore saturate caeruleo praecipitetur. Solutio perfecta in acido hydrochlorato, adjuvante acido nitrico, acidis superfluis liberata, nec aqua hydrosulphurata obscure turbetur, nec haec solutio in balneo vaporis exsiccata et ammonio carbonico digesta aqua hydrosulphurata colore albo turbetur.

Ferrum carbonicum saccharatum.

R. **Ferri sulphurici puri** . . . *partes quinque,* . . 5
in **Aquae destillatae fervidae** . . *partibus viginti* . . 20
solutas infunde in lagenam vitream collo angustiore praeditam et satis amplam, quae contineat
Natri bicarbonici . . . . *partes quatuor* . . . 4
in **Aquae destillatae tepidae** . . *partibus quinquaginta* 50
solutas, lagenae partem vacuam imple aqua bullienti et per horas duas sepone. Liquidum supernatans siphonis ope tunc a praecipitato separetur, lagena saepius aqua destillata impleatur et post conquassandum et subsidendum denuo separetur, donec liquor defusus addita baryta nitrica vix turbetur. Pultem tenuem, aqua separatam immitte
in vas porcellanicum, cui insint **Sacchari pulverati**
partes quatuor, . . 4

evaporet in balneo vaporis ad siccum et residuum in pulverem redigatur.

Sit pulvis e viridi cinereus, acido hydrochlorato affuso acidum carbonicum copiose extricans, haec solutio addita baryta nitrica vix turbetur. Continet 20 partes ferri carbonici oxydulati in 100 partibus.

Rejiciendum est, quod coloris fusci, acidis parum effervescit.

In vitris bene clausis servetur.

Ferrum chloratum.

R. **Acidi hydrochlorati puri** *partes quingentas viginti,* 520
his in cucurbitam satis amplam infusis sensim immitte
Ferri in filis seu limati *partes centum et decem.* 110
Quum gasis evolutio fere cessaverit, cucurbita per aliquot horas stet in balneo vaporis, tum liquor a ferro non soluto filtratione accelerata separetur, statim in vase porcellanico igne fortiori ad cuticulam evaporet,
tum addita **Acidi hydrochlorati puri** *parte una* . . . 1
sub perpetua agitatione ad pultem rigidam evaporet, quae ab igne remota ad massam salinam solidam concrescat. Haec contrita statim in vitris minoribus antea calefactis, optime clausis, servetur.

Pulvis salinus, pallide-virescens, in pari aquae pondere additis nonnullis acidi hydrochlorati guttis limpide solubilis, quae solutio triplo spiritus volumine ne turbetur neve baryta nitrica praecipitetur.

Ferrum cyanatum.

R. **Liquoris Ferri sulphurici oxydati** *partes sedecim,* . 16
misceantur cum **Aquae destillatae** *partibus centum quadraginta.* 140

Ferro-Kalii cyanati . . . . . *partes septem,* . 7
in **Aquae destillatae** . . . . *partibus triginta* 30
solvantur et filtrentur. Liquores sub perpetua agitatione misceantur. Praecipitatum filtro separatum bene ablue et sicca.

Sit pulvis saturate-caeruleus, in aqua, spiritu et acidis dilutis plane insolubilis. Liquore kali caustici, ferro oxydato remanente, decomponatur; quae solutio ammonio chlorato ne albide et gelatinose turbetur neve odorem ammoniacalem spargat.

Ferrum et Ammonium chloratum.

R. **Ammonii chlorati pulverati** . . . . *partes sex,* . 6
Liquoris Ferri sesquichlorati . . . *partem unam,* 1
misce intime in patina porcellanica, et in balneo vaporis perfecte exsicca.

Sit pulvis aurantiacus, aëri expositus humescens, in aqua plane solubilis, in 100 partibus 2,26 Ferri aut 6,6 Ferri sesquichlorati continens.

In vasis bene obturatis servetur.

Ferrum jodatum.

R. **Ferri pulverati** . . . *partem unam cum dimidia,* $1^1/_2$
Aquae destillatae . . *partes novem,* 9
Jodi . . . . *partes quatuor,* 4
in phiola modice calefiant, donec fluidum colore viridulo appareat, tum filtretur et filtrum aqua eluatur.

Secundum hanc praescriptionem ferrum jodatum ex tempore parandum est, ita ut quatuor partes Jodi praebeant quinque partes ferri jodati. Liquor ferri jodati hoc modo obtentus addatur ceteris medici praescriptionibus.

Sin autem ferrum jodatum massae pilularum addendum est, liquor ferri jodati leni calore inspissandus et ceteris ordinatis materiis admiscendus est.

Ferrum jodatum saccharatum.

R. **Ferri pulverati** . . . *partem unam cum dimidia,* $1^1/_2$
Aquae destillatae . . *partes quinque,* 5
Jodi . . . . *partes quatuor,* 4
in phiola interdum agitando loco calido sepone, donec color rubicundus in subviridem mutatus sit. Liquorem citissime filtra et filtrum aqua destillata pauca affusa ablue in patinam porcellanicam, quae
Sacchari Lactis pulverati *partes viginti* 20
contineat. Massa bene mixta in balneo vaporis et semper terendo ad siccum evaporet, et in pulverem redigatur.

Sit pulvis e subflavo albidus, in aquae partibus septem solubilis, solutionem fere limpidam praebens, contineat 20 partes ferri jodati in 100 partibus. Solutio aquosa amylo tunc aqua chlori caute admixta colore obscure caeruleo tingatur. Ceterum ut in ferro pulverato exploretur.

Caute servetur in vasis minoribus optime clausis.

Ferrum lacticum.

R. **Sacchari Lactis pulverati** . *partes duodecim,* . . **12**
solve in **Seri Lactis acidi turbidi**
partibus ducentis quadraginta, **240**
in temperatura 25—30° fermentent et acidum inde ortum satura in dies
Natri bicarbonici *tanto,* donec *tredecim* aut *quatuordecim partes* hujus consumtae sint. . . . . . . **13 – 14**

Calefac in balneo vaporis, adde **Acidum sulphuricum dilutum** usque ad reactionem modice acidam, cola et evapora donec sexta pars remaneat. Liquor adhuc calidus, colatus misceatur cum solutione ebulliente e

Ferri sulphurici puri . . . . *partibus novem* . . 9
in **Aquae destillatae** . . . . . *partibus duodeviginti* 18
et per aliquot dies loco frigido sepone. Crystallos obtentas parva copia aquae frigidae et denique spiritu ablue, inter chartam bibulam preme et leni calore sicca.

Sit pulvis crystallinus, albidus, e flavo virescens, in spiritu parum, in aquae frigidae partibus quadraginta octo solubilis, solutionem e viridi flavam praebens, quae plumbo acetico vix turbetur. Cum liquore natri caustici calefactus praebeat liquorem, qui filtratus cupro sulphurico non excedente leni calore neque coaguletur neque colore rubro turbetur.

Ferrum oxydatum.

R. **Liquoris Ferri sulphurici oxydati** *partes quadraginta,* 40
cum **Aquae destillatae** *quadruplo* mixtas affunde
in **Liquoris Ammonii caustici** . . *partes triginta duas* 32
cum **Aquae destillatae** *duplo* mixtas, aut tantum,
ut reactionem alkalinam praebeant. Praecipitatum in filtro ingestum primum aqua communi, deinde aqua destillata elotum exprime et leni calore sicca.

Sit pulvis subtilissimus, e rufo fuscus, acido hydrochlorato infuso fiat liquor limpidus, qui baryo chlorato paullum modo turbetur.

In vase bene clauso servetur.

Ferrum oxydulato-oxydatum.

R. **Ferri sulphurici** . . . . *partes octo,* 8
solve in **Aquae destillatae** . . *partibus centum viginti,* 120

affunde **Liquoris Ferri sulphurici oxydati** *partes quadraginta,* **40**
misce ad **Liquoris Ammonii caustici** ante *quadruplo* **Aquae destillatae** diluti *partes quadraginta quinque* **45**
aut tantum, ut alkali praevaleat.

In lebete ferreo semel ebulliat, praecipitatum aqua bene ablue et leni calore sicca.

Sit pulvis niger, insipidus, magneti obediens, in acido hydrochlorato perfecte solubilis; solutio ferro-kali cyanato flavo et rubro saturate caeruleo colore praecipitetur; baryta nitrica ne turbetur.

Ferrum phosphoricum.

R. **Ferri sulphurici**	*partes tres,*	**3**
solve in **Aquae destillatae** . . .	*partibus duodeviginti,*	**18**
affunde **Natri phosphorici** . . .	*partes quatuor* . .	**4**
solutas in **Aquae destillatae** . . .	*partibus sedecim.* .	**16**

Praecipitatum inde ortum bene ablue, sicca et contere.

Sit pulvis subtilissimus, e cinereo caeruleus, in aqua insolubilis, in acido hydrochlorato diluto leni calore solvatur.

In vitro bene clauso serva.

Ferrum pulveratum.

Pulvis subtilissimus, cinereus, gravis, metallice subnitens, acido hydrochlorato affuso gasis hydrosulphurati nihil extricetur, quod charta liquore plumbi acetici imbuta dignoscendum est. Haec solutio addito acido nitrico ad perfectam ferri oxydationem, tum liquore ammonii caustici

praevalente affuso, filtrata ne liquore ammonii sulphurati turbetur. In apparatu Marshiano acido sulphurico diluto affuso et gase oriente in solutionem argenti nitrici conducto ne argentum nitricum metallice reducatur, neve haec solutio coloretur.

In vasis bene clausis servetur.

Ferrum sesquichloratum.

R. **Ferri in filis seu limati** . *partes sedecim,* **16**
Acidi hydrochlorati puri *partes septuaginta novem.* **79**

Acido hydrochlorato in cucurbitam satis amplam infuso sensim inmitte ferrum. Cucurbitam efficientia ferri propemodum perfecta in balneo vaporis per aliquot horas interdum conquassando sepone, tum liquorem a ferro non soluto filtro separa. Liquori addatur *tantum* **Aquae destillatae,** ut pondus totius sit *partium trecentarum,* deinde ex apparatu ad aquam chlori parandam descripto, sed manganum hyperoxydatum et acidum hydrochloratum continenti **Chlorum** tam diu inducatur, donec ferri soluti portiuncula exemta kali hypermanganicum non amplius decoloret. Fluidum in balneo vaporis evaporet, donec gutta exemta statim congelescat, tunc campana vitrea tectum sepone in locum frigidum ad crystallisationem. Ex patina per aliquot momenta calefacta exime massam salinam et in frusta diffractam celerrime in vitrum antea exsiccatum immitte et in eo epistomio vitreo claudendo serva.

Sit massa crystallina, verrucosa, coloris ex aurantiaco flavi, in aqua, spiritu et aethere penitus solubilis. Solutio aquosa aqua valde diluta baryta nitrica ne turbetur.

Ferrum sulphuratum.

R. **Ferri in filis aut tornati** . . . . *partes sex,* . 6
in crucibulo satis amplo, in fundo perforato ad rubedinem excandescant, tum adde

Sulphuris in frustis . . . . *partes quatuor* 4
et bene tectis collige in cochlear ferreum ferrum sulphuratum per foramen in fundo defluens.

Sit durum, metallice nitens, acido hydrochlorato affuso gas hydrosulphuratum large emittens.

Crasse contusum in vase clauso servetur.

Ferrum sulphuricum crudum.

In officinis propriis paratur.

Frusta crystallina vel crystalli rhomboideo-prismaticae, pellucidae, virides, cupro vel aliis metallis inquinatae, qua de causa ad usum medicum non adhibendae.

Ferrum sulphuricum purum.

R. **Aquae destillatae** . . *partes ducentas quadraginta,* 240
in cucurbitam vitream infundantur et in eam ita ut vertices oriantur perturbatam caute affunde

Acidi sulphurici crudi *partes sexaginta,* 60
tum **Ferri in filis aut limati** *partes quadraginta* . . . 40
immittantur. Quodsi efficientia temperatura consueta remissior appareat, cucurbita in balneo vaporis calefiat, donec vis illa evanuerit. A ferro remanente filtro separa soluta, quibus

Acidi sulphurici puri . *partem unam*
adde et e liquore ferrum sulphuricum interdum diligenter agitando in crystallos parvas redige, quas primum aqua, deinde spiritus parva copia ablutas, in aëre sicca.

Sint crystalli diaphanae, coloris laete e caeruleo viridis, in aquae frigidae minus quam duabus partibus, fervidae partibus aequalibus solubiles, in spiritu insolubiles, in aëre sicco fatiscant.

Signa chemica puritatis ut in ferro pulverato.

In vasis parvis bene obturatis serva.

Flores Arnicae.

Arnica montana *L.*

Flosculi vitellini, pappo piloso, scabro, fragili instructi, germine tuboque pubescentes, radii feminei, ligulati, quatuor millimetra circiter lati, tridentati, disci hermaphroditi, tubulosi, quinquedentati. Dispensentur anthodii radiantis flosculi a peranthodio liberati; sunt acres, saporis amaricantis, digitis confricati sternutationem movent. Ne confundantur cum flosculis aliarum Compositarum, a quibus characteribus supra dictis satis differunt; nec corrosi nec neti sint a larvis nigris Trypetae Arnicae.

Herba rediviva Europae et Americae borealis, praesertim in montanis crescens; Majo-Julio florens.

Flores Aurantii.

De planta materna vide: Cortex Fructus Aurantii.

Flores recentes odoris suaviter fragrantissimi, calyce parvo, dentato, petalis subcarnosis, oblongis, candidis, nec extus roseis, ut in Citro Limonum *Risso,* staminibus polyadelphis, germine monostylo sunt instructi; siccati sordide flavescunt. Si condiuntur iterum ac saepius partes binas florum recentium cum singulis Natrii chlorati tabulatim in vase apto dispone, massam inculcatam lapidibus grava et in loco frigido serva.

Flores Chamomillae Romanae.

Anthemis nobilis *L.*

Anthodia radiata, cultura luxuriantia, peranthodio imbricato, receptaculo convexo, paleis apice obtusis, laceris obsito, flosculis disci tubulosis, flavis, maxima parte in radii flosculos majores, albos, ligulatos mutatis, pappo nullo; odoris fragrantis, aromatici, saporis amari. Ne confundantur cum anthodiis luxuriantibus multo minoribus Pyrethri Parthenii *Smith* et Achilleae Ptarmicae *L.*

Herba rediviva in Europa australi spontanea, compluribus locis nobis culta.

Flores Chamomillae vulgaris.

Matricaria Chamomilla *L.*

Anthodia radiata, peranthodio imbricato, receptaculo conico, nudo, cavo, flosculis radii ligulatis, albis, disci tubulosis, flavis, pappo nullo; odoris peculiaris, fragrantis, saporis amari. Ne confundantur cum floribus Pyrethri inodori *Smith*, Anthemidis Cotulae et arvensis *L.* Anthodia majora et inodora Pyrethri inodori et Anthemidis arvensis receptaculo convexo, medulloso, in ultima praeterea paleaceo, anthodia foetida Anthemidis Cotulae receptaculo medulloso, paleis setaceis obsito sunt instructa.

Herba annua in Germaniae agris frequens.

Flores Cinae.

Artemisiae species e sectione Seriphidii huc usque ignota.

Anthodia clausa, pauciflora, oblongo-prismatica, coloris subviridis, subflavi vel subfusci, circiter duo millimetra longa, glabra; peranthodii phyllis imbricatis, carinatis,

membranaceo-marginatis, dorso glandulis minutis, aureis inspersis, exterioribus ovatis, quam interiora oblonga minoribus; saporis et odoris proprii, nauseoso-subcamphoracei. Solummodo flores sic dicti Levantici adhibendi; vetusti, fusci, nec non majores, saepe jam florentes, pilosiusculi, glandulis majoribus inspersi sic dicti Indici vel subglobosi, cano-tomentosi, vulgo Barbarici sunt rejiciendi.

Merx per Russiam advehitur.

Flores Kusso.

Hagenia Abyssinica *Willdenow.*

Paniculae femineae coarctatae, ramosissimae, villosae, bracteatae, multiflorae, floribus perigynis, plus minus defloratis, bibracteolatis, bracteolis subrotundis sepalisque quinque vel quatuor exterioribus oblongis, circiter centimetrum longis membranaceis, reticulatis, subrubris vel subviridibus, hypanthio brevi, turbinato, villoso insertis; saporis nauseoso-subamari. Loco sicco in vasis bene clausis, luci non perviis serventur, ante dispensationem a paniculae ramis crassioribus repurgentur.

Arbor in Abyssiniae montibus indigena.

Flores Lavandulae.

Lavandula officinalis *Chaix.*

Flores caerulei, calyce cylindrico, striato, violaceo-villoso, quinquedentato, dente summo majore, corolla bilabiata; odoris aromatico-fragrantis. Colligendi flores ante perfectam anthesin.

Fruticulus in Europa australi indigenus, in hortis apud nos cultus.

Flores Malvae arboreae.

Althaea rosea *Cavanilles.*

Flores calyce duplici tomentoso, exteriore plerumque sex-, interiore quinquefido, corolla malvacea, atrofusca, saepe plena, circiter quinque centimetra longa staminibus monadelphis instructi, mucilaginosi, subadstringentes. Colligantur flores integri et plane evoluti; rejiciantur mucidi, nec non insectis corrosi.

Herba rediviva orientalis, in hortis culta.

Flores Malvae vulgaris.

Malva silvestris *L.*

Flores calyce duplici, exteriore tripartito, interiore quinquefido, corolla tenera, pentapetala, duo centimetra fere longa, rosea, siccata lilacina, staminibus monadelphis instructi, mucilaginosi.

Herba rediviva per totam fere Europam crescit, floret aestate.

Flores Millefolii.

Achillea Millefolium *L.*

Anthodia parva, ad corymbum disposita, radiata, pauciflora; receptaculo paleaceo; peranthodii ovalis, imbricati squamis rotundatis, subtomentosis, margine scariosis; flosculis epapposis, albis vel rubicundis, radii subquinis, femineis, ligula latissima ornatis, disci paucis, tubulosis, hermaphroditis; saporis amari, odoris aromatici.

Colligendi flores herbae redivivae indigenae mensibus Junio et Julio.

Flores Rhoeados.

Papaver Rhoeas *L.*

Petala tenuissima, subrotunda, basi attenuata, circiter quinque centimetra lata, siccata sordide purpurea, ungue saepe nigro; fere inodora, submucilaginosa, saporis amaricantis. Flores decolores, mucidi, ab insectis corrosi rejiciantur.

Herba annua, in tota fere Europa indigena, aestate florens.

Flores Rosae.

Rosa centifolia *L.*

Petala recentia concava, pallide rubentia, odoris gratissimi, siccata pallidiora, minus odorata. Eodem modo ut Flores Aurantii sale condiuntur.

Frutex orientalis, nobis frequentissime cultus.

Flores Sambuci.

Sambucus nigra *L.*

Cymae quinqueradiatae, multiflorae, corollis epigynis, rotatis, ex albo luteolis; saporis et odoris peculiaris. Colligendi flores tempestate sicca, nigrescentes repudiandi.

Crescit arbor in tota fere Europa, Caucaso, Sibiria, floret Junio et Julio.

Flores Tanaceti.

Tanacetum vulgare *L.*

Anthodia ad corymbum disposita, hemisphaerica; receptaculo nudo; peranthodio imbricato; flosculis tubulosis, flavis, marginalibus femineis, trilobis, disci hermaphrodi-

tis, quinquedentatis; odoris gravis, aromatici, saporis amari.

Colligendi flores herbae redivivae indigenae, quum planta florescit.

Flores Tiliae.

Tilia ulmifolia et Tilia platyphyllos *Scopoli.*

Pedunculi cymoso-tri-septemflori, ad medium usque cum bractea subchartacea, lineari-oblonga, reticulata, e flavo virenti connati. Flores ex albido sublutei, pentasepali, pentapetali, staminibus plurimis, hypogynis germineque subgloboso, tomentoso; siccati odoris debilis, saporis dulciusculi. Serventur in vasis bene clausis, nec ultra annum.

Arbores Europaeae Junio et Julio florentes.

Flores Verbasci.

Verbascum thapsiforme *Schrader.* **et Verbascum phlomoides** *L.*

Corollae satis magnae, rotatae, subregulares, aureoflavae; staminibus superioribus tribus brevioribus, albido-villosis, inferioribus duobus longioribus, glabris, anthera longe decurrente; odoris debilis, manducatae mucilaginosae, saporis subdulcis. Colligendae corollae calycibus deliberatae tempestate sicca et siccatae in vasis antea calefactis bene obturandis servandae.

Herbae biennes indigenae, Julio, Augusto florentes.

Flores Violae.

Viola odorata *L.*

Flores recentes odorati, corolla pentapetala, labiosa, saturate violacea; saporis subdulcis.

Ad syrupi confectionem flores herbae redivivae Europaeae, primo vere florentis absque calyce genitalibusque adhibeantur.

Folia Althaeae.

Althaea officinalis *L.*

Folia petiolata, subcordata, acuta, quinque-, triloba vel indivisa, dentata, utrinque molliter tomentosa; manducata mucilaginosa.

Colligenda cum herba rediviva in Europa media et australi crescens florescit.

Folia Aurantii.

De planta materna vide: Cortex Fructus Aurantii.

Folia oblonga, acuta, glabra, pellucido-punctata, petiolo articulato, latiuscule alato, obovato vel obcordato; saporis amaricantis, trita fragrantia.

Colligenda aestate, non confundenda cum foliis Citri Limoni et medicae *Risso,* quibus ala petioli angustissima est vel deficit.

Folia Belladonnae.

Atropa Belladonna *L.*

Folia ovalia, in petiolum attenuata, integerrima, acuta, supra saturate viridia, juniora pubescentia, adultiora nervis solummodo subpubescentia; odoris subnarcotici, saporis subamari, ingrati.

Colligenda e planta rediviva, in Europa media et australiori montana spontanea cum florescit mensibus aestivis, celeriter siccata, coloris obscure viridis, in vasis bene clausis asservanda.

Pulvis ejusdem statim ex foliis recens siccatis paretur et in vitro bene clauso loco obscuro seponatur.

Caute servanda.

Folia Cardui benedicti.

Cnicus benedictus *L.*

Folia ad duo decimetra usque longa, oblongo-lanceolata vel lanceolata, in petiolum attenuata, sinuato-pinnatifida, aculeato-dentata, villosa; saporis peramari, salsi.

Herba annua Europae Asiaeque mediterraneae, nobis hortensis, ubi folia cum planta florescit sunt colligenda.

Folia Digitalis.

Digitalis purpurea *L.*

Folia oblonga, in petiolum attenuata, rugosa, crenata, praesertim subtus plus minus tomentosa; saporis amari, nauseosi. Colligenda e planta florescenti, sponte crescenti, nec culta, siccanda in umbra atque in vasis a luce remotis, nec ultra annum sed **caute** servanda.

Herba biennis praecipue in locis montosis Europae mediae; in hortis culta glabrescit.

Folia Farfarae.

Tussilago Farfara *L.*

Folia subrotundo-cordata, sinuato-angulata, dentata, subtus albo-tomentosa, supra laete viridia; saporis amari, subadstringentia. Colligenda mense Majo; nec confundantur cum foliis junioribus Petasitidis officinalis *Moench.* reniformi-cordatis, subtus canescenti-lanuginosis, nec reniformibus Petasitidis tomentosi *DC.*

Herba rediviva Europaea primo vere ante foliationem florens.

Folia Hyoscyami.

Hyoscyamus niger *L.*

Folia ovato-oblonga, sinuato-dentata, villosa; odoris nauseosi, narcotici. Colligantur a planta spontanea florescenti, nec ultra annum, sed **caute** serventur.

Herba annua vel biennis per totam fere Europam crescens, aestate florens.

Folia Juglandis.

De planta materna vide: Cortex Fructus Juglandis.

Folia impari-pinnata, foliolis subnovenis, magnis, ovato-oblongis, subtus in venarum axillis barbatis, lateralibus solis articulatis; odore proprio, sapore subamaro.

Colligantur mense Junio ex arbore orientali, nobis culta, cito siccata bene serventur, sint siccata viridia.

Folia Laurocerasi.

Prunus Laurocerasus *L.*

Folia recentia, breviter petiolata, coriacea, oblonga, octo ad sedecim usque centimetra longa, remote serrata, glabra, venosa, subtus ad venarum inferiorum axillas glandulosa. Odor tritorum amygdalinus; sapor stypticus, amarus.

Folia arbusculae orientalis, nobis saepe cultae solummodo ad Aquam Laurocerasi destillandum adhibeantur.

Folia Malvae.

Malva neglecta *Wallroth* **et Malva silvestris** *L.*

Folia longe petiolata, subrenata vel cordato-subrotunda, pilosiuscula, quinque-vel septemloba, lobis obtusissimis vel porrectis, serratis; manducata mucilaginosa.

Folia ex herbis redivivis indigenis florentibus colligenda sunt.

Folia Melissae.

Melissa officinalis *L. α.* **citrata** *Bischoff.*

Folia petiolata, ovata vel subcordata, crenato-serrata, viridia, subtus pallidiora, minute glandulosa, in nervis pilosiuscula; odoris grati, saporis amariusculi. Non confundenda foliis subtus cano-tomentellis Nepetae Catariae *L. β.* citriodorae.

Colligantur folia cum planta rediviva nobis frequenter culta florescit.

Folia Menthae crispae.

Mentha crispa *L.* **et Mentha crispata** *Schrader.*

Folia subsessilia, cordata vel rotundo-ovata, bullato-rugosa, undulata, lacero-dentata, obtusa vel acuta, villosa vel glabra, glandulosa; manducata os urentia; odoris proprii.

Colligenda folia, cum herba rediviva nobis culta florescit, mensibus aestivis.

Folia Menthae piperitae.

Mentha piperita *L.*

Folia longiuscule petiolata, oblonga, acuta, argute serrata, subglabra, glandulosa; odore fragranti, sapore subcamphorato, frigoris sensum in ore relinquenti.

Colligenda folia, cum herba rediviva apud nos culta florescit, mensibus aestivis, nec confundenda foliis sessilibus, minus aromaticis Menthae viridis *L.*

Folia Millefolii.

De planta materna vide: Flores Millefolii.

Folia in ambitu lanceolata, bipinnatifida, petiolo nervisque subtus villosis, laciniis abbreviatis, lanceolatis, acuminatis, mucronatis, subtus glandulosis; saporis amari.

Colligenda folia mense Junio.

Folia Nicotianae.

Nicotiana Tabacum *L.*

Folia magna, oblongo-lanceolata, acuta, basi attenuata, integerrima, glandulose pubescentia, siccata fusca; manducata acria, odoris peculiaris.

Folia siccata venalia herbae annuae Americanae, quae vulgo Virginiana vocantur, tantummodo adhibeantur.

Folia Rosmarini.

Rosmarinus officinalis *L.*

Folia rigida, linearia, rugosa, glandulosa, margine revoluta, subtus albo-tomentosa, nervo prominente; odoris et saporis camphoracei.

Praeferantur folia fruticis in Europa australi spontanei.

Folia Rutae.

Ruta graveolens *L.*

Folia petiolata, bi-vel tripinnatipartita, crassiuscula, glaucescentia, glandulosa, laciniis ultimis spathula-

tis; recentia graveolentia, manducata urentia, saporis subamari; siccata sunt odoris et saporis debilioris.

Suffrutex in Europa australi spontaneus, nobis cultus, ubi folia, antequam planta florescit, sunt colligenda.

Folia Salviae.

Salvia officinalis *L.*

Folia petiolata, oblonga, rugosa, crenulata, tenuitomentosa; manducata adstringentia; saporis amari, odoris aromatici.

Colligenda antequam suffrutex in Europa australi spontaneus, nobis cultus florescit.

Folia Sennae.

Cassia lenitiva *Bischoff.*

Foliola subcoriacea, ovalia vel oblonga, basi obliqua, medio latiora, acuta, mucronulata, venosa, plus minus puberula, pallide subglauca; odoris peculiaris, saporis nauseoso-subamari. Adhibeantur folia vulgo Alexandrina vel Tripolitana, quorum priora foliis rigidis, lanceolatis, basi aequalibus, uninerviis, glaucis, pubescentibus Solenostemmatis Argel *Hayne* mixta reperiuntur, quibus omnino repurgari ea non oportet; sint a stipitibus leguminibusque, quantum fieri potest, libera. Nec foliola elongate lanceolata, acutata, basi latiora Cassiae angustifoliae *Vahl*, neque silvestria, vulgo Senna Indica vel Senna de Mecca, nec culta majora integriora, vulgo Senna de Tinnevelly, nec foliola obovata Cassiae obovatae *Colladon* vulgo Senna Halepensis vel Italica, adhibere licet. Folia Sennae sic dicta parva,

fragmenta foliorum referentia, ob frequentem adulterationem nunquam in usum trahantur.

Suffrutex in Aegypto et Nubia indigenus, unde merx advehitur.

Folia Sennae Spiritu extracta.

Folia Sennae in **Spiritus** *partibus quatuor* per biduum macerentur, tum exprimantur et siccentur.

Folia Stramonii.

Datura Stramonium *L.*

Folia petiolata, ovata, acuta, sinuato-dentata, supra saturate viridia, subtus pallidiora, in nervis puberula; odoris narcotici, saporis nauseosi, amari.

Colligenda folia cum herba annua, nunc quasi indigena, florescit et **caute**, nec ultra annum servanda.

Folia Toxicodendri.

Rhus Toxicodendron *Michaux.*

Folia longe petiolata, ternata, foliolis membranaceis, acutis, intermedio petiolulato, ovali, lateralibus sessilibus, ovatis, inaequilateris. Folia recentia succi lactei aëre nigrescentis, cutis inflammationem cum intumescentia efficientis scatent, quamobrem manibus nudis non tangenda sunt. Ne confundantur foliis similibus, sed foliolis omnibus sessilibus instructis Pteleae trifoliatae *L.*

Colligenda folia fruticis Americae borealis, nobis hortensis mensibus Junio et Julio, siccata **caute**, non ultra annum servanda.

Folia Trifolii.

Menyanthes trifoliata *L.*

Folia petiolata, ternata; foliolis subsessilibus, crassiusculis, ovalibus vel oblongis, obtusis, leviter repando-crenatis, glabris, laete viridibus; saporis peramari.

Colligenda folia excreta herbae redivivae indigenae mensibus Majo vel Junio.

Folia Uvae Ursi.

Arctostaphylos Uva Ursi *Sprengel.*

Folia coriacea, obovata, integerrima, glabra, utrinque nitida et reticulata; saporis subamari, adstringentis. Non confundantur foliis margine reflexis, subtus opacis, venosis, fusco-punctatis Vaccinii Vitis Idaeae *L.*

Colligenda folia fruticuli in Europa boreali mediaque et America boreali indigeni aestate.

Formicae.

Formica rufa *L.*

Insecta viva neutra, aptera, a quisquiliis perfecte mundata.

Fructus Anisi stellati.

Illicium anisatum *Loureiro.*

Carpella drupacea, duriuscula, suboctona, stellatim divergentia, cymbiformia, compressa, extus e griseo fusca, rugosa, intus laevigata, superiore sutura dehiscentia, monosperma; semine compresso, badio, nitido; manducata os paullum urentia, saporis subdulcis, odoris aromatici. Sint

quantum fieri potest stipitibus libera; immatura parva, corrugata, odoris debilioris sunt rejicienda.

Fructus e China ad nos adferuntur.

Fructus Anisi vulgaris.

Pimpinella Anisum *L.*

Schizocarpia late ovata, a latere subcompressa, dense brevissimeque puberula, ex cinereo subviridia, circiter duo millimetra longa; mericarpiis plerumque cohaerentibus, quinque striatis, multivittatis; manducata os paullum urentia, saporis subdulcis, odoris aromatici. Sint fructus plane maturi, quantum fieri potest, stipitibus et glebulis terreis aliisque quisquiliis liberi.

Herba annua, in regione mediterranea orientali spontanea, nobis culta.

Fructus Aurantii immaturi.

De planta materna vide: Cortex Fructus Aurantii.

Baccae immaturae siccatae, globosae, glandulosae, multiloculares, ad magnitudinem cerasorum usque electae, durae, coloris e viridi subnigri; odoris aromatici, saporis amari.

Fructus Cannabis.

Cannabis sativa *L.*

Nuculae late ovatae, paullum compressae, submarginatae, laeves, e griseo subvirides, semine solitario, oleoso. Vetustiores saporis rancidi rejiciendae.

Herba annua Asiae australis, nobis culta.

Fructus Capsici.

Capsicum annuum et longum *Fingerhuth.*

Bacca exsucca, conica, plerumque rubra, nitida, calyce planiusculo fulta, intus cava, incomplete bi-vel trilocularis, pericarpio tenui, coriaceo; seminibus planis, subflavis, sporophoro incrassato affixis; manducatus fructus os acriter urit, contritus sternutamentum vehementissimum movet.

Herbae annuae Americae tropicae et Indiae, nobis cultae, ubi fructus colligi licet.

Fructus Cardamomi minores seu Cardamomum minus.

Elettaria Cardamomum *White et Matoni.*

Capsulae chartaceae, trigonae, striatae, octo ad duodecim millimetra longae, coloris straminei, triloculares; seminibus parvis, duris, obtusangulis, rugosis, hinc sulco exaratis, fuscis, intus albis, odoris intense aromatici, manducatis os urentibus. Semina capsulis exemta nunquam emantur; rejiciantur Cardamomum minus aromaticum, sic dictum longum vel Zeylanicum, nec non rotundum vel Javanicum. Ad pulverem parandum pericarpia sunt removenda.

Herba rediviva praesertim Malabariae, unde merx advehitur.

Fructus Cardui Mariae.

Silybum Marianum *Gärtner.*

Achaenia nucacea oblonga, quatuor millimetra longa, subcompressa, hinc oblique umbilicata, inde pappo piloso

liberata, laevia, glabra, nitida, pallide subfusca, obscurius maculosa; nucleo albido, exalbuminoso; saporis subamari, oleosi, paullum acerbi.

Herba biennis totius fere Europae, saepe culta.

Fructus Carvi.

Carum Carvi *L.*

Schizocarpia oblonga, a latere valde compressa, circiter quatuor millimetra longa; mericarpiis angustis, utrinque angustatis, quinquecostatis, facile separabilibus, costis filiformibus, albidis, sulcis latis, fuscis, univittatis; manducata os paullum urentia; odoris peculiaris. Sint fructus plane maturi et quantum fieri potest stipitibus aliisque quisquiliis liberi.

Herba biennis indigena, frequenter culta.

Fructus Cerasi.

Prunus Cerasus *L.*

Drupae maturae, subglobosae, atropurpureae, succo purpureo, acido, subdulci turgescentes.

Arbor ubique apud nos culta.

Fructus Ceratoniae.

Ceratonia Siliqua *L.*

Legumina septata, plano-compressa, ex sicco carnosa, extus badia, segmento transverso obtuse quadrangula; mesocarpio crassiusculo, lacunoso, subfusco, dulci; loculis endocarpio chartaceo obductis, monospermis; seminibus compressis, durissimis, splendentibus. Fructus nimis sicci, nec non ab insectis corrosi sunt rejiciendi.

Arbuscula in regione mediterranea crescens, unde merx advehitur.

Fructus Citri.

Citrus Limonum *Risso.*

Baccae recentes, vertice umbilicatae, multiloculares; pericarpio tenui, extus flavo, glanduloso; pulpa succulenta, peracida instructae. Ne confundantur cum baccis Citri medicae *Risso,* pericarpio crasso, rugoso; pulpa acidula diversis. Baccae mucidae et putridae, sicuti maculis nigris foedae rejiciantur.

Arbor ex Asia advecta in Europa australi culta, unde fructus evehuntur.

Succus Citri semper recens expressus et colatus dispensetur, nisi succus venalis praescribitur.

Fructus Colocynthidis.

Citrullus Colocynthis *Arnott.*

Baccae siccatae, decorticatae, globosae, mali magnitudine; carne levissima, spongiosa, albida, amarissima; seminibus pluribus, parietalibus, in pulpa nidulantibus. Praeferendae sunt carne copiosiore seminibusque paucioribus praeditae; fuscescentes et duriores rejiciendae. **Caute** serventur, seminibus remotis adhibeantur.

Herba annua, in parte orientali regionis mediterraneae indigena.

Fructus Coriandri.

Coriandrum sativum *L.*

Schizocarpia globosa, calyce coronata, duo ad tria millimetra crassa, e fusco subflava, intus excavata; meri-

carpiis saepissime cohaerentibus, dorso multistriatis evittatisque; manducata urentia, saporis subdulcis, odoris aromatici.

Herba annua regionis mediterraneae, nobis culta.

Fructus Cubebae seu Cubebae.

Cubeba officinalis *Miquel.*

Drupae siccatae, duriusculae, pericarpio tenui instructae, subglobosae, monospermae, basi in stipitem quatuor ad sex millimetra longum attenuatae, reticulatim rugosae, coloris e cinereo obscure fusci, magnitudinem piperis nigri adaequantes; manducatae urentes, odoris fragrantis. Characteribus supra dictis adulterationes facillime cognosci possunt.

Fructus ex insula Java advehuntur.

Fructus Ebuli.

Sambucus Ebulus *L.*

Drupae maturae recentes, pisi magnitudinis, subglobosae, apice umbilicatae, extus nigrae, nitidae, tri-vel tetrapyrenatae; carne succulenta, e violaceo rubra; saporis acidulo-amari, subnauseosi.

Fructus herbae redivivae in Europa media indigenae, interdum cultae, fine aestatis maturant, nec immaturi, nec nimis maturi, utrique fere exsucci colligantur et ad succum inspissatum parandum adhibeantur.

Fructus Foeniculi.

Foeniculum officinale *Allione.*

Schizocarpia oblonga, teretiuscula, coloris subfusci vel subviridis, circiter quatuor millimetra longa; mericar-

piis facile separabilibus, quinquecostatis, costis carinatis, pallidioribus; sulcis fuscis, univittatis; manducata os paullum urentia, saporis subdulcis, odoris peculiaris.

Herba rediviva in Europa australi et occidentali spontanea, nobis culta et silvescens.

Fructus Juniperi.

Juniperus communis *L.*

Baccae globosae, pisi circiter magnitudine, carnosae, apice trigibbae, trispermae, extus nigrae, glauco-pruinosae, carne e subviridi fusca; seminibus osseis, glanduliferis; saporis subdulcis, demum amariusculi, odoris aromatici. Rejiciantur immaturae virides, griseae vel rufae, nec non vetulae.

Arbuscula vel frutex Germaniam habitans.

Fructus Lauri.

Laurus nobilis *L.*

Drupae siccatae, ovales, rugosae, e fusco nigrae, minoris cerasi magnitudine; mesocarpio tenui, putamine chartaceo, ex fusco rubro; semine facile in cotylas duas, fere hemisphaericas, oleoso-carnosas, subfuscas secedente; odoris peculiaris, saporis oleosi, amari.

Arbor sempervirens regionis mediterraneae.

Fructus Lupuli.

Humulus Lupulus *L.*

Strobili ovati, levissimi, squamis laxe imbricatis, membranaceis, venoso-reticulatis, ex viridi luteis vel ex viridi

subfuscis, deciduis, duplicibus; interioribus gemellis, nuculae basin amplectentibus, his ibidem una cum nucula glandulis inspersis.

Colligendi strobili herbae redivivae indigenae et cultae sereno coelo, caute siccandi, non ultra annum servandi; rejiciendi fusci coloris nec non illi glandulis jam spoliati.

Fructus Mali.

Pirus Malus *L.*

Fructus semimaturi notissimi. Elige illas varietates, quae majorem acidi malici copiam continent, exempli gratia mala, quae dicunt, Borsdorfiensia, Sedinensia seu Rostockiensia, Renetia (Reinetten), pulmonea (Rambour.)

Ad parandum Extractum Ferri pomatum solummodo adhibentur.

Fructus Mori.

Morus nigra *L.*

Fructus recentes, brevissime pedunculati, succulenti, ovales, compositi e baccis spuriis, plurimis, monocarpicis, coadunatis, fuscoatris, nitidis, succo rubro, dulci-acidulo turgidis. Cave confundas fructibus longe petiolatis, minoribus, nec acidulis, interdum etiam fuscoatris Mori albae *L.*

Solummodo fructus arboris orientalis, in Europa australi et media cultae, Augusto fructificantis ad syrupum parandum adhibentur.

Fructus Myrtilli.

Vaccinium Myrtillus *L.*

Baccae globosae, umbilicatae, polyspermae, siccatae rugosae, piperis nigri et pisi magnitudine, nigrae, carne

ex caeruleo purpurascenti repletae; adstringentes, saporis acidulo-dulcis. Sint satis molles, nec humore corruptae, nec vermiculatione exesae, nec mucidae.

Colligendae baccae fruticuli per totam fere Europam indigeni perfecte maturae, sereno coelo et leni calore siccandae.

Fructus Papaveris immaturi.

Papaver somniferum *L.*

Capsulae immaturae, putaminis Juglandis magnitudinem adaequantes, ooideo-oblongae, stigmate magno, peltato, radiato coronatae, sporophoris parietalibus, septiformibus, pluribus instructae, cum seminibus siccatae; saporis nauseoso-amari.

Herba annua orientalis, nobis frequentissime culta.

Fructus Petroselini.

Petroselinum sativum *Hoffmann.*

Schizocarpia ovata, a latere compressa, duo millimetra circiter longa, ex griseo subviridia, glabra; mericarpiis quinquecostatis, facile separabilibus; costis filiformibus, sulcis medio elevatis, univittatis; manducata os paullum urentia, odoris gravis.

Herba biennis, in parte orientali regionis mediterraneae spontanea, nobis culta.

Fructus Phellandrii.

Oenanthe Phellandrium *Lamarck.*

Schizocarpia oblonga, subteretia, sursum parum attenuata, calyce coronata, circiter quatuor millimetra longa,

fusca; mericarpiis plerumque cohaerentibus, quinquecostatis, costis obtusis, sulcis angustis, univittatis; odoris ingrate aromatici, saporis subamari. Cave ne sint fructibus Cicutae virosae *L.* et Sii latifolii *L.* mixta, qui forma subglobosa aut ovata et colore subviridi ab iis differunt.

Herba biennis palustris indigena, autumno fructificans.

Fructus Piperis seu Piper nigrum.

Piper nigrum *L.*

Baccae immaturae, subglobosae, rugosae, ex nigro fuscae, pisi minoris fere magnitudine, monospermae, haud stipitatae; manducatae os acriter urentes, odoris proprii.

Frutex scandens Indiae orientalis spontaneus et cultus.

Fructus Rhamni catharticae.

Rhamnus cathartica *L.*

Drupae maturae recentes, globosae, ad octo millimetra crassa, disco orbiculari fultae, nigrae, succo ex violaceo viridi repletae; pyrenis cartilagineis, plerumque quaternis, obtuse trigonis, obscuris, mono- et campylospermis, quae in Rhamno Frangula *L.* binae vel ternae tantum, compressae, pallide subfuscae et orthospermae sunt. Ad syrupum parandum inserviunt.

Frutex Europaeus, mensibus Septembri, Octobri fructificans.

Fructus Rubi Idaei.

Rubus Idaeus *L.*

Fructus recentes rubri, puberuli, suaveolentes, e drupis monopyrenis, succulentis, in conum hemisphaericum,

basi cavum collectis compositi; saporis e dulci grate aciduli.

Fructus suffruticis silvestris majorem acidi et aromatis copiam, cum minori sacchari quantitate continentes, hortensibus praeferantur.

Fructus Sabadillae.

Sabadilla officinalis *Brandt.*

Carpella tria capsularia, chartacea, pallide fusca, sutura ventrali hiantia, pleiosperma, circiter duodecim millimetra longa, seminibus plerumque prolapsis, oblongis, angulosis, sursum augustatis, fuscoatris, intus albis, quatuor ad sex millimetra longis, amarissimis acerrimisque, cum acrimonia faucibus diu haerente. Fructus seminibus abundantes, **caute** servandi.

Herba bulbosa Mexicana, unde merx advehitur, et Columbiensis.

Fructus Sambuci.

Sambucus nigra *L.*

Drupae recentes, subglobosae, tripyrenae, calyce minuto coronatae, pisi magnitudinis, extus coloris e violaceo nigri, succo purpureo repletae; saporis grate aciduli; subdulcis, odoris peculiaris.

Arbuscula ubique apud nos obvia.

Fructus Vanillae seu Vanilla.

Vanilla planifolia *Andrews.*

Capsulae non plane maturae siccatae, subcarnosae, trigono-compressae, utrinque attenuatae, striatae, flexiles,

saepius crystallis exiguis obtectae, sesqui ad duo et dimidium decimetra longae, quatuor ad octo millimetra latae, coloris atrofusci, uniloculares, pulpa farctae granulosa, saporis suavissimi, odoris Balsamo Peruviano similis, e seminibus simulata, innumerabilibus, minutissimis, atris, strato tenuissimo balsamico obtectis et conglutinatis. Fructus valde immaturi, tenues, exsucci, nec non jam bivalvatim aperti et illi, qui sub nomine „La Guayra et Pompona“ occurrunt, crassiores quidem, sed odoris multo debilioris non adhibeantur.

Frutex scandens Mexicanus.

Fungus igniarius praeparatus.

Polyporus fomentarius *Fries.*

Laminae ferrugineae, mollissimae, cortice duriore et et hymenio liberatae; nec sint Kali nitrico impraegnatae.

Fungus Europaeus, in truncis annosis imprimis Fagorum nascens, e Suecia et Hungaria advehitur.

Fungus Laricis.

Polyporus officinalis *Fries.*

Frusta levia, fungoso-fibrosa, friabilia, tamen tenacia et difficile pulverisanda, coloris e subflavo albi; manducata saporis primum subdulcis, demum amari, os urentia. Decorticatus fungus est adhibendus, ab insectis corrosus removendus.

Fungus Europae mediae et australis in truncis annosis Laricis deciduae *Miller.* crescens.

Galbanum seu Gummi-resina Galbanum.

Ferula erubescens *Boissier.*

Grana irregularia, pisi magnitudinis usque ad Avellanae, singula aut conglutinata, coloris pallide flavi, vel e rubenti vel e subfusco flavi, fractura sublutea, cerae instar nitenti; aut frusta plus minus mollia, subviridia aut pallide fusca, fractura varie pallidiore vel obscuriore massas praebentia; manducata os urentia, sapore amaro, odore valde balsameo.

Tempestate gelida terendo redigantur in pulverem, ab quisquiliis ope cribri separandum.

Succus lacteus aëre induratus herbae multennis in Perside indigenae.

Gallae.

Quercus infectoria *Olivier.* **nonnullaeque affines species.**

Excrescentiae e gemmis foliiferis Quercuum sempervirentium fruticosarum orientalium ictu Cynipis Gallae tinctoriae *Olivieri* laesis nascentes, plus minus globosae, verrucoso-echinatae, ponderosae, durae, saepissime foramine praedita, coloris e subviridi cinerei, obscurioris vel pallidioris; manducatae adstringentes. Rejiciantur Gallae leves, spongiosae, laeves sic dictae Germanicae, nec substituantur corneae, cavae, diaphanae, tomentellae vulgo Chinenses.

Gelatina animalis.

Sit et coloris et odoris paene expers.

Paratur ex ossibus in officinis technicis.

Gelatina Caragaheen.

℞. **Caragaheen** . . . . *partem unam,* . . 1
Aquae communis . . . . . *partes quadraginta,* 40
coque per semihoram in balneo vaporis, cola expressione, adde
Sacchari . . . . *partes duas* . . . 2
et evapora continua agitatione, ut supersint
partes decem. . . 10

Ex tempore paretur.

Gelatina Lichenis Islandici.

℞. **Lichenis Islandici aqua frigida loti** *partes tres,* . 3
Aquae communis . . . . *partes centum,* 100
coque per semihoram in balneo vaporis, cola expressione, adde
Sacchari . . . . *partes tres* . 3
et evapora sub perpetua agitatione, ut supersint
partes decem. . . 10

Ex tempore paretur.

Gelatina Lichenis Islandici saccharata.

℞. **Lichenis Islandici concisi** . . . *partes octo,* . . 8
Kali carbonici depurati . . . *partem dimidiam,* 1/2
Aquae communis . . . . . . *quantum satis,*
ut lichen obtegatur, stent per viginti quatuor horas interdum agitando, deinde coletur, et lichen cum aqua communi sedulo abluatur, donec sapor amarus et alkalinus consumtus sit, tum lichen cum
Aquae communis . . . . *partibus quinquaginta* 50
in balneo vaporis interdum agitando per horas quatuor coquatur, coletur, operatio repetatur; liquores colati cum
Sacchari . . . . *partibus tribus* . . . 3

evaporent, donec non amplius glutinant, et in frustulis parvis ad siccum redigantur. Massa sicca pendatur, et tantum **Sacchari** addatur, ut totum Sacchari eandem quantitatem efficiat, atque gelatina in massa contenta est.

Sit pulvis ex griseo fuscus, sapore dulci, postea amariusculo, mucilaginoso.

Gemmae Pini.

Pinus silvestris *L.*

Gemmae cylindricae, ad quinque centimetra longae, recentes resina exsudata glutinosae; axi viridi; squamis numerosissimis, densissimis, imbricatis, scariosis, angustis, ferrugineis, singulis rudimentum parvum foliorum geminorum acerosorum vaginis hyalinis inclusum fulcientibus et tegentibus; odoris gravis, resinoso-balsamici, saporis resinosi, subamari.

Colligantur gemmae arboris indigenae notissimae primo vere coelo sereno, cito siccentur, in vasis clausis, nec ultra annum serventur.

Gemmae Populi.

Populus balsamifera *L.* **Populus nigra** *L.* **Populus monilifera** *Aiton.* **Populus pyramidalis** *Rozier.*

Gemmae conicae, tegmentis imbricatis, resinoso-viscidis, suaveolentibus tectae, vere, antequam dehiscant, collectae et recentes adhibitae vel siccatae in usum repositae.

Arbores in Germania cultae.

Glandulae Lupuli.

De planta materna vide: Fructus Lupuli.

Pulvis subresinosus, aureus, deinde e luteo fuscus, constans e glandulis minutis, turbinatis, vertice hemisphae-

ricis, balsamo citrino repletis; odoris peculiaris, saporis amari. Glandulae a strobilis Lupuli recens siccatis ope cribri setacei separandae, nec ultra annum sunt servandae, ne sint arena inquinatae.

Glandulae Rottlerae.

Rottlera tinctoria *Roxburgh.*

Pulvis subresinosus, colore laterum, constans e glandulis minutis, depresso-subglobosis, vesiculas clavatas, balsamo repletas continentibus. Sit a pilis minutis stellatis, semper immixtis, multo levioribus, quantum fieri potest, et ab arena liber.

Indumentum fructuum arbusculae Indiae orientalis, unde ad nos advehitur.

Glycerinum.

Praeparatum officinarum propriarum.

Liquor limpidus, coloris et odoris expers, syrupi consistentiae, ad chartam exploratoriam indifferens, ponderis specifici = 1,23, in aquae, spiritus et spiritus aetherei quantacunque copia solubilis, in aethere, chloroformio et oleis pinguibus non solubilis.

Ammonio oxalico, aqua hydrosulphurata ne turbetur, liquore kali caustici calefactus ne fuscescat, haec mixtura addito cupro sulphurico ne rubescat, neve acido sulphurico diluto affuso calefactus nigrescat.

Graphites.

Massae compactae, leviores, structurae lamellosae vel densae, ex griseo nigrescentes, metallice nitentes, digitos valde inquinantes, tactu pingues.

Graphites depuratus.

R. **Graphitae subtilissime laevigati** *partes sex,* . . . 6
coque cum **Aquae communis** . . . *partibus duodecim* 12
per horam. Tum aqua defusa adde
Acidi hydrochlorati puri, ... 1
Acidi nitrici puri, singulorum *partem unam,* . 1
Aquae destillatae . . . . . . *partes quatuor,* . 4
digere per aliquot dies saepe agitando. Liquore acido defuso residuum aqua destillata edulcora et sicca.

Flammae tubi ferruminatorii expositus nec odorem neque fumum exhalet; acido hydrochlorato calefactus sit liquor filtratus limpidus, et addita aqua hydrosulphurata ne turbetur neque ante neque post neutralisationem ope liquoris ammonii caustici.

Gummi Arabicum.

Acacia Seyal *Delile.* **Acacia Ehrenbergiana, Acacia tortilis** *Hayne.*

Frusta irregularia, globosa aut angulosa, variae magnitudinis, diaphana, sine colore vel subflavescentia, plurimis parvis rimis, fractura anguste conchata, splendore vitreo nitentia, saepe iricoloria; manducata mucilaginae, sapore et odore nullo. Cum aqua facile mucilaginem praebens, quae spiritu turbetur.

Succus e cortice arborum et arbuscularum in Arabia, Nubia, Lybia, aliis terris indigenarum aëre induratus.

Gutti seu Gummi-resina Gutti.

Planta haud certe nota.

Frusta plerumque cylindrata, colore aurantiaco, facile fragilia, fractura late conchata, laevia, cerae instar niten-

tia, circa angulos paullum diaphana, trita citrina, inodora; sapore initio vix ullo, demum subdulci, os urentia. In spiritu et aethere partim solubilia, aqua trita emulsionem laete flavam, alkaliis causticis aut carbonicis dilutis saturate aurantiacam solutionem praebentia, ex qua acidis resina colore citrino praecipitetur.

Caute servetur.

Succus lacteus aëre induratus arboris Siamensis.

Herba Absinthii.

Artemisia Absinthium *L.*

Herba florens paniculata; foliis cano-sericeis, bi-vel tripinnatifidis, summis indivisis, laciniis ultimis spathulatis; anthodiis subglobosis, nutantibus, receptaculo villoso flosculisque subluteis, parvis instructis; saporis peramari, odoris aromatici, gravis.

Colligenda herba spontanea rediviva, totam fere Europam habitans mensibus Julio et Augusto et a caulibus crassioribus repurganda.

Herba Cannabis.

De planta materna vide: Fructus Cannabis.

Ramuli florentes plantae femineae partim jam fructiferi, adpresse pilosi, scabri, massa resinosa excreta ad anthuros densos, foliatos, subcompressos conglutinati; foliis floralibus plerumque simplicibus, lanceolato-linearibus, serratis; bracteis vaginatis, florem femineum vel serius nuculam notissimam includentibus, rufo-glandulosis; odoris praesertim herbae paullum calefactae narcotici.

Merx ex India orientali advehitur.

Herba Centaurii.

Erythraea Centaurium *Persoon.*

Herba florens; caule angulato, basi simplici, sursum cymoso-corymboso; foliis oppositis, sessilibus, ovali-oblongis vel angustioribus, tri-vel quinquenerviis, glaberrimis; corollis rubris; antheris defloratis spiraliter contortis; saporis amari.

Colligenda herba annua, per totam fere Europam nascens mensibus Julio et Augusto.

Herba Chelidonii.

Chelidonium majus *L.*

Tota planta recens lacte croceo, amaro-acri turget; ramis nodosis, pilosiusculis; foliis sublyratis, subtus subglaucis, praesertim in nervis pubescentibus, laciniis rotundatis, lobato-crenatis; floribus umbellatis, tetrapetalis, luteis.

Colligenda herba cum planta rediviva per totam fere Europam indigena florescit, mense Majo, aut ad parandum extractum inservit aut celeriter, ne nigrescat, siccetur.

Herba Chenopodii ambrosioidis.

Chenopodium ambrosioides *L.*

Herba florens; foliis sparsis, oblongis vel lanceolatis, utrinque angustatis, remote dentatis, glabris, laete viridibus, subtus glandulosis; floribus minutis, glomeratis, axillaribus, apetalis; manducata herba os urit, saporis amaricantis, odoris balsamici, fragrantis.

Colligenda cum herba annua ex Mexico oriunda, nobis hortensis florescit, mense Julio.

Herba Cochleariae.

Cochlearia officinalis *L.*

Herba recens florens; foliis radicalibus petiolatis, subcordato-rotundis, repandis, plerumque jam deficientibus, caulinis semiamplexicaulibus, ovatis, sinuato-dentatis; floribus albis; siliculis turgidis. Herba trita est acredinis volatilis, manducata urens, saporis amari.

Crescit herba biennis in oris maritimis Europae borealis, apud nos in hortis colitur, ubi vere est colligenda.

Herba Conii.

Conium maculatum *L.*

Herba florens, ubique glabra; foliis pluries pinnatipartitis, basi vaginantibus, inferioribus fistuloso-petiolatis, superioribus sessilibus, suboppositis; laciniis ultimis ovali-oblongis, inciso-serratis, mucronulatis; floribus umbellatis, parvis, albis; germinibus fere hemisphaericis fructibusque plus minus immaturis crenato-costatis; odore peculiari, nauseoso. Herba genuina facillime ab ea affinium umbelliferarum e. g. Anthrisci silvestris *Hoffm.*, Chaerophylli hirsuti, bulbosi, temuli *L.*, Aethusae Cynapii *L.*, Cicutae virosae *L.* caet. discernitur **costis crenatis** germinis aut fructus immaturi, sub lente manifestis; odore peculiari, si herba sicca Liquore Kali caustici humectatur; praeterea ab Anthrisci et Chaerophylli speciebus glabritie omnium partium. Herba Conii a caule fusco-vel rubro-maculato ramisque validioribus liberata **caute** neve ultra annum servetur.

Pulvis statim ex herba recens siccata parandus et in vitris bene clausis loco obscuro servandus est.

Herba biennis indigena, non ubique vulgaris, aestate florens.

Herba Fumariae.

Fumaria officinalis *L.*

Herba florens, glabra, glaucescens; caule flaccido, succulento; foliis sparsis, squarrosis, teneris, triplicato-pinnatipartitis, laciniis ultimis spathulatis; racemis oppositifoliis; floribus parvis, irregularibus, rubris; saporis amaricantis, subsalsi.

Herba annua indigena, a Majo florens aut recens ad succum herbarum aut siccata a caulibus crassioribus repurgata adhibetur.

Herba Galeopsidis.

Galeopsis ochroleuca *Lamarck.*

Herba florens; caule tetragono, molliter pubescente, sub nodis non incrassato; foliis oppositis, petiolatis, ovato-oblongis; superioribus oblongis, utrinque subsericeo-pubescentibus, e subflavo viridibus; verticillastris axillaribus, grandifloris, inferioribus remotis; corollis bilabiatis, ochroleucis, extus villosis, calycem aristato-dentatum quadruplo superantibus; odoris debilis, saporis salso-amariusculi. Cave, ne confundas cum herba Galeopsidis Ladani *L.*, foliis lanceolatis vel oblongo-lanceolatis floribusque minoribus, purpureis, nec cum ea Galeopsidis versicoloris *Curt.*, caule hispido, sub geniculis incrassato distinctis.

Herba annua Europae mediae, praesertim occidentalis, aestate florens.

Herba Gratiolae.

Gratiola officinalis *L.*

Herba florens, glabra; caule tetragono, stricto, sursum ramoso, foliis oppositis, sessilibus, lanceolatis, remote serratis, tri-vel quinquenerviis; floribus axillaribus, solitariis, pedunculatis, bibracteolatis; corolla sublabiata, albida; manducata os urens, saporis amari, nauseosi. Colligenda Junio, Julio et **caute** servanda.

Herba rediviva per totam fere Europam mediam et australiorem spontanea.

Herba Hyssopi.

Hyssopus officinalis *L.*

Herba florens, glabriuscula; foliis oppositis, decussatis, lineari-lanceolatis, integerrimis, immerse glandulosis, anthuro secundo; floribus saepissime caeruleis; odoris fragrantis, manducata acris, saporis amaricantis.

Suffruticis in Europa australi indigeni, nobis saepe culti summitates mensibus aestivis colligantur.

Herba Lactucae.

Lactuca virosa *L.*

Herba recens lactescens, paniculata; foliis horizontalibus, basi sagittata amplexicaulibus, oblongis, integris vel sinuatis, mucronato-denticulatis, costa aculeatis; anthodiis radiatiformibus, paucifloris, luteis; odoris ingrate narcotici, saporis ingrati, amari, salsi. Ne confundatur cum herba Lactucae Scariolae *L.*, foliis verticalibus, sinuato-pinnatifidis dignoscenda.

Colligatur herba biennis cum ramulis florescentibus vel spontanea, praesertim in Europa occidentali indigena, vel culta et recens ad extractum parandum adhibeatur.

Herba Linariae.

Linaria vulgaris *Miller.*

Herba recens florens; foliis sparsis, confertis, sessilibus, linearibus, acutis, integerrimis, glabris, trinerviis; floribus racemosis, personatis, basi calcaratis, flavis.

Colligendae summitates foliosae floriferae herbae redivivae per totam fere Europam et Americam borealem crescentis aestate, solummodo recentes ad parandum Unguentum Linariae adhibentur.

Herba Lobeliae.

Lobelia inflata *L.*

Herba florens, pilosiuscula; foliis sparsis, inferioribus breviter petiolatis, oblongis, inaequaliter serratis; floribus racemosis, parvis, epigynis; sepalis linearibus, corollam bilabiatam, pallide violaceam aequantibus; capsula inflata. Masticata herba primum mitis, demum acris.

Herba annua, ex America boreali in placentis valde compressis, quadrangularibus advehitur; apud nos culta, a caulibus crassioribus purgata etiam adhiberi licet.

Herba Majoranae.

Origanum Majorana *L.*

Herba florens, paniculata, cano-tomentella; foliis oppositis, ovalibus vel oblongis, obtusis, integerrimis; capi-

tuli quadrifariam imbricati bracteis subrotundis; odoris aromatici.

Herba annua regionis mediterraneae, apud nos culta, ubi aestate est colligenda.

Herba Mari.

Teucrium Marum *L.*

Ramuli florentes foliisque parvis, ovatis, integerrimis, margine revolutis, subtus albo-tomentosi; floribus racemosis, secundis, roseo-purpureis, unilabiatis; odoris fragrantissimi, manducata herba os urit, saporis amari. Pulvis sternutationem excitat.

Fruticulus regionis mediterraneae; apud nos in hortis cultum etiam adhibere licet.

Herba Marrubii.

Marrubium vulgare *L.*

Herba florens, plus minusve albo-tomentosa, sapore amaro, odore proprio; foliis oppositis, inferioribus petiolatis, superioribus subsessilibus, ovalibus, rugosis, crenatis; verticillastris axillaribus, multifloris, subglobosis; calycis dentibus decem, inaequalibus, uncinatis; corollis bilabiatis, albis.

Herba rediviva per majorem Europae partem et in Asia centrali indigena, floret aestate.

Herba Meliloti.

Melilotus officinalis *Persoon.*

Rami floriferi, foliis ternatis, subulato-stipulatis; corollis papilionaceis, parvis, luteis; germine fructuque sericeis, odoris peculiaris.

Colligendi rami herbae biennis per magnam Europae partem indigenae mensibus Julio et Augusto.

Herba Nasturtii.

Nasturtium officinale *R. Brown.*

Herba recens, glabra; caule angulato, fistuloso, nodis radicante, sursum adscendente; foliis sparsis impari-pinnatipartitis, pinnis tri-, septemjugis, repandis, lateralibus ellipticis, terminali ovato, subcordato; trita saporis et odoris sinapis sat similis.

Herba rediviva in aquosis Germaniae crescens, ante anthesin colligenda, caulibus crassioribus repurgata, recens ad succum herbarum adhibeatur. Cardamine amara *L.* differt caule erecto, solido.

Herba Origani.

Origanum vulgare *L.*

Herba florens; foliis oppositis, ovatis, pilosiusculis, pellucido-punctatis; spicis in corymbum terminalem dispositis, densis; bracteis adpressis, quadrifariam imbricatis, ovatis, apice violaceis; corollis labiatis; odoris fragrantis, saporis subamari.

Colligenda herba rediviva indigena aestate, a caulibus crassioribus repurgata servetur.

Herba Polygalae.

Polygala amara *L.*

Planta caespitosa florens; radice tenui, luteola; caulibus pluribus, circiter decimetrum altis; foliis inferioribus majoribus, in orbem dispositis, spathulatis vel obovatis,

caulinis sparsis, lanceolatis; floribus parvis, racemosis, caeruleis vel albis, sepalis duobus petaloideis, alaeformibus ornatis; saporis peramari. Cave, ne cum aliis Polygalae speciebus commutes, a quibus praesertim foliis rosulatis et sapore peramaro differt.

Colligenda herba rediviva Europae borealis et mediae mensibus Majo et Julio.

Herba Pulegii.

Mentha Pulegium *L.*

Herba florens; foliis caulinis parvis, oppositis, subrotundis, serrulatis, glandulose punctatis; floralibus quam verticillastri globosi, axillares, inter se remoti paullo longioribus; calycis fauce annulatim pilosa; corolla sublabiata; odoris aromatici, masticata herba urens, saporis amari. Cave, ne confundas cum herba Menthae arvensis, foliis majoribus, acutioribus, floralibus quam verticillaster multo longioribus, calyce exannulato diversa.

Colligenda herba rediviva in Germania praesertim occidentali crescens aestivis mensibus, a caulibus crassioribus repurgata servetur.

Herba Pulsatillae.

Anemone pratensis et Anemone Pulsatilla *L.*

Herba florens, villosa, recens; foliis radicalibus ad florendi tempus nondum excretis, bi-, tripinnatifidis, laciniis linearibus; scapo unifloro; involucro foliaceo, multipartito, a flore campanulato, atro-violaceo vel cyaneo remoto. Herba integra inodora, trita auram acerrimam exhalat, manducata vehementer urens.

Herbae redivivae prior praesertim in Germania boreali, altera per totam fere Europam et Asiam borealem indigenae mensibus Aprili et Majo colligantur, ad extractum parandum adhibentur.

Herba Scordii.

Teucrium Scordium *L.*

Herba florens, villosa; foliis oppositis, sessilibus, oblongis, grosse serratis, glandulosis; verticillastris axillaribus paucifloris; corollis unilabiatis; odore herbae recentis alliaceo, sapore amaro.

Legantur summitates herbae redivivae indigenae Julio, Augusto, caute siccandae et loco sicco servandae.

Herba Serpylli.

Thymus Serpyllum *L.*

Herba florens; caule tenui, prostrato; foliis oppositis, parvis, planis, angustioribus vel latioribus, utrinque glandulosis, basi ciliatis; verticillastris subcapitatis; calycibus corollisque bilabiatis; odoris fragrantis, saporis subamari, adstringentis.

Colligenda herba suffruticuli Europaei valde variabilis aestivis mensibus.

Herba Spilanthis.

Spilanthes oleraceus *Jacquin.*

Herba recens florens; caule ramoso; foliis oppositis, petiolatis, ovatis, subcordatis, repando-crenatis, margine scabris, triplinerviis; pedunculis axillaribus, solitariis, monocephalis, folio longioribus; anthodio crasso, ovato,

discoideo, multifloro, primum fusco, demum flavo. Manducata herba os urit et salivam copiosiorem movet.

Colligenda herba annua ex America meridionali oriunda, nobis frequenter culta exeunte aestate.

Herba Thymi.

Thymus vulgaris *L.*

Herba florens; caule tenui, erecto, puberulo; foliis oppositis, parvis, oblongis, margine revolutis, eciliatis, utrinque glandulosis, subtus cano-puberulis; verticillastris axillaribus, sursum coarctatis; calycibus corollisque bilabiatis; odoris fragrantis.

Colligenda herba suffruticuli Europam australem habitantis, apud nos culti mensibus Majo et Junio.

Herba Veronicae.

Veronica officinalis *L.*

Herba florens; caule repente, sursum adscendente ramisque sub apice distachyis undique pubescente; foliis oppositis, breviter petiolatis, ovali-oblongis; serratis, pubescentibus; floribus parvis, rotatis, diandris; saporis subamari, vix acerbi, odoris debilis.

Colligenda herba rediviva indigena Junio, Julio.

Herba Violae tricoloris.

Viola tricolor *L.*

Herba florens; caule angulato; foliis sparsis, petiolatis, oblongis, crenatis; stipulis lyratis, petiolo longioribus; floribus axillaribus, longe pedunculatis; corollis labiosis,

calcaratis, tri-, bicoloribus vel flavescentibus; manducata os paullum urens, saporis amariusculi.

Praeferantur formae floribus subcaeruleis herbae annuae vel biennis tota fere Europa, Asia occidentali, America boreali crescentis, in hortis cultas adhibere non licet.

Hirudines.

Sanguisuga medicinalis et Sanguisuga officinalis *Savigny.*

Prior species, sic dicta Germanica, est granuloso scabra, superne olivacea, lineis sex longitudinalibus laete ferrugineis, nigro punctatis, subtus e subviridi luteola, maculis margineque nigris notata. Altera species, sic dicta Hungarica, est laevis, superne subviridis vel e nigricante viridis, lineis sex longitudinalibus ferrugineis, nigropunctatis, subtus olivacea, immaculata, linea utrinque laterali nigra notata.

Ne ad sugendum antea sint adhibitae.

Haemopis (Hippobdella *Blainville.*) Sanguisorba *Savigny* ad sugendum inepta distinguitur dorso irregulariter maculato, haud lineato.

Hydrargyrum.

Metallum liquidum, mobilissimum, laeto metallice splendore, colore e caerulescente albo, plerumque plumbum, bismuthum, stannum aut zincum admixta continens.

Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Massae albae, diaphanae, ponderosae, radiatim crystallinae, in fractura granulosae, ignitae liquescentes et plane

avolantes, in aquae frigidae partibus sedecim, ebullientis partibus tribus, in spiritus partibus tribus, in aetheris frigidi partibus quatuor solubiles.

Cautissime in vasis bene clausis serva.

Hydrargyrum bijodatum rubrum.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi**	*partes quatuor*, .	4
solve in **Aquae destillatae**	*partibus septuaginta duabus;*	72
Kalii jodati	*partes quinque* .	5
solve in **Aquae destillatae**	*partibus sedecim.*	16

Utrumque filtra et solutioni primae inter agitationem solutionem alteram adde. Praecipitatum inde ortum in filtrum immitte, aqua destillata bene ablue et sicca.

Sit pulvis subtilissimus, laete coccineus, in aqua minima ex parte, in spiritu plane solubilis, ignitus residui nihil relinquens.

In vasis bene clausis **cautissime** servetur.

Hydrargyrum chloratum mite.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** . *partes quatuor.* 4
In mortario vitreo aut lapideo caute et quidem **Spiritus** aliquot guttis subinde inspergendo pulveratis
adde **Hydrargyri depurati** . . . . . *partes tres.* . 3

Misce terendo, donec globuli hydrargyri penitus disparuerint. Mixta immitte in lagunculas vitreas quatuor ad tertiam usque partem tantum replendas, epistomiis e creta confectis claudendas, et in balneo arenae igne primum moderato tum fortiori sublima.

Sublimatum inde obtentum contere et in pulverem subtilissimum laevigatione redactum affusa **Aqua destillata**

frigida edulcora, donec aqua defluens neque aqua hydrosulphurata neque argento nitrico turbetur. Tum sicca et loco umbroso **caute** serva.

Sit pulvis ponderosus, e subflavo albus, in aqua et spiritu non solubilis, ignitus sine liquefactione et sine residuo avolans. Liquore kali sive natri caustici commixto sine nidoribus ammoniacalibus nigrescat, cum acido nitrico ponderis specifici = 1,4 calefactus sub elevatione nidorum rubrorum solvatur, et reactiones suarum partium constituentium praebens. Praeparato cum aquae fervidae decuplo conquassato filtratum aqua hydrosulphurata ne mutetur.

Hydrargyrum chloratum mite via humida paratum.

R. **Natrii chlorati** . . . . *partes duas,* . 2
in **Aquae destillatae** . . . . *partibus viginti* 20
solvantur et filtrentur, liquido instilla
Liquoris Hydrargyri nitrici oxydulati
partes octoginta. 80

Praecipitatum ortum perfecte elue et leni calore sicca.

Pulvis albus, levis, in tubo vitreo ignitus sine nidoribus rubris avolans, ceterum uti hydrargyrum chloratum mite se gerens.

Non nisi expressis verbis ordinatum dispensetur.

A luce remotum **caute** serva.

Hydrargyrum depuratum.

R. **Hydrargyri** . . . . *partes centum,* 100
Acidi nitrici puri, ... 5
Aquae destillatae, singulorum . . *partes quinque,* 5

immitte in vitrum idoneum, et digere, saepius agitando, per triduum. Liquido tunc separato hydrargyrum cum aqua destillata bene abluatur et in balneo vaporis perfecte exsiccetur.

Metallum liquidum, splendidissimum, mobilissimum. Solutio postquam in acido nitrico ad siccum evaporavit, ignita sine residuo avolet; cupro metallice redigatur.

Hydrargyrum et Stibium sulphuratum.

R. **Hydrargyri sulphurati nigri,**
Stibii sulphurati nigri laevigati, singulorum *par pondus.*
Misceantur ad dispensationem.

Hydrargyrum jodatum.

R. **Hydrargyri depurati** . . . . . . *partes octo,* . . 8
Jodi . . . . *partes quinque.* 5
In mortario porcellanico adspersis **Spiritus** nonnullis guttis contere, donec globuli hydrargyri oculis non amplius percipi possint et mixta colorem e subviridi flavum induerint. Tum spiritu elotum loco calido sicca.

Sit pulvis subtilis, e subviridi flavus, ponderosus, luce fuscescens, in aqua parum, in spiritu minime solubilis; pulvere cum spiritu bene conquassato filtratum aqua hydrosulphurata paullulum mutetur.

A luce remotum **caute** servetur.

Hydrargyrum nitricum oxydulatum.

R. **Hydrargyri depurati,**
Acidi nitrici puri, singulorum *partes aequales.*

In patinam porcellanicam infusa loco frigido tamdiu sepone, quamdiu crystalli oriuntur. Tum liquor calefiat, donec crystalli ortae plane solutae fuerint, quo facto hydrargyrum separetur a liquore, qui leviter conquassando refrigerescat. Crystalli parvae ita ortae aqua paullum acidi nitrici continenti abluantur et siccentur. Liquori hydrargyrum rursus addere eandemque operationem tamdiu repetere licet, quamdiu crystalli oriuntur.

Sint crystalli parvae, coloris expertes, in aqua non sine decompositione, sed in aqua acidum nitricum continenti perfecte solubiles, aqua calcariae e cinereo nigrescente colore praecipitentur. Solutio in acido nitrico acido hydrochlorato plane praecipitata et filtrata, neque stanno chlorato neque aqua hydrosulphurata mutetur.

In vasis bene obturatis **cautissime** servetur.

Hydrargyrum oxydatum.

R. **Hydrargyri depurati** . . . . . . *partes duas,* . 2
leni calore solve in **Acidi nitrici puri** . *partibus tribus,* 3
ad siccum evaporent et addantur
Hydrargyri depurati . . . . . . *partes duae,* . 2
terendo intime mixtae in vase porcellanico igniantur, quamdiu vapores rubri avolant. Residuum refrigeratum aqua, cui paullum liquoris kali caustici inest, digere, tunc aqua destillata tepida elue, sicca et ad pulverem subtilissimum contere.

Sit pulvis non nitens, ponderosus, subtilissimus, ex flavescenti ruber, ignitus sine exhalatione vaporum rutilorum avolans, in acido hydrochlorato et nitrico perfecte solubilis; acido oxalico ne mutetur.

A luce remotum **cautissime** servetur.

Hydrargyrum oxydatum via humida paratum.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** . . *partem unam,* 1
Aquae destillatae . . . . *partes sex;* . 6
calefactas usque ad solutionem ingere inter perpetuam agitationem in
Liquoris Natri caustici . . . . . *partem unam,* 1
cum **Aquae destillatae** . . . . *partibus sex* 6
dilutam et ad bullitum calefactam. Praecipitatum inde ortum separa, aqua destillata fervida bene elue et sicca leni calore.

Pulvis subtilissimus, ponderosus, e rubro flavus, ignitus non plane volatilis, acido oxalico albescens.

Nonnisi expressis verbis ordinatum dispensetur.

A luce remotum **cautissime** servetur.

Hydrargyrum praecipitatum album.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *partes duas,* . . . 2
in **Aquae destillatae** . . . . . *partibus quadraginta* 40
calefaciendo solutas, deinde refrigeratas et filtratas inter agitationem in
Liquoris Ammonii caustici . *partes tres* . . . 3
infunde, ut hic paullulum praevaleat, tum praecipitatum filtra, quod postquam humor ab eo defluxit, bis
Aquae destillatae . . . . . *partibus duodeviginti* 18
eluas. Loco obscuro siccetur.

Sit albissimum, non in aqua, sed in acido nitrico calefacto facile solubile; cum liquore natri caustici calefactum flavescens et vapores ammonii exhalans; ignitum sine liquatione plane volatile.

In vasis bene obturatis, a luce remotum **cautissime** serva.

Hydrargyrum praecipitatum nigrum.

R. **Liquoris Ammonii caustici** . . *partem unam*, . . 1
cum **Spiritus** . . . . *partibus duodecim* 12
misce. His instilla inter perpetuam agitationem
Liquoris Hydrargyri nitrici oxydulati recens parati
partes duodeviginti, 18
sed vide, ut post praecipitationem liquor parum sit acidus.

Liquore defuso praecipitatum in filtro collige, in eo parva spiritus copia ablue, inter chartam bibulam preme, loco umbroso, calore evitato, sicca et contere.

Sit pulvis ponderosus, subtilissimus, niger, sine splendore, in aqua et spiritu non solubilis, ignitus vapores rubros exhalans, plane volatilis, cum liquore kali seu natri caustici calefactus odorem ammoniacalem praebens.

In vitro obturato et denigrato **caute** serva.

Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

R. **Hydrargyri depurati,**
Sulphuris depurati, singulorum *partes aequales*,
modico calore tamdiu conterantur, donec massa in pulverem homogeneum, nigrum mutata sit, in quo ne sub lente globuli hydrargyri conspiciantur.

Sit pulvis subtilissimus, niger, ponderosus, in aqua, spiritu et acidis non solubilis, ignitus flamma caerulea et sine residuo deflagrans; hoc acido hydrochlorato diluto calefacto et filtrato filtratum aqua hydrosulphurata ne mutetur.

Indicum.

Indigofera tinctoria et Indigofera Anil *L.* **Indigofera argentea** *Lindl.* **et aliae species.**

Frusta irregularia seu quadrata, colore obscure caeruleo, friabilia, fractura aequali, opaca, ungue fricata

colore cupreo nitentia, aqua leviora. In aqua, spiritu, aethere et oleis pinguibus insolubilia, sed in acido sulphurico fumanti colore saturate caeruleo solubilia. Indicum combustum ne nimis cineris relinquat.

In India orientali et occidentali e plantis ibidem indigenis recentibus aut siccatis fermentatione obtinetur.

Infusa.

In Infusorum praeparatione idem valet, quod de decoctis monitum est.

Infusum Sennae compositum.

R. **Foliorum Sennae concisorum** ..	*partes duas,* . .	2
stent cum **Aquae communis fervidae**	*partibus duodecim*	12

per semihoram saepius agitando. Deinde exprime, solve in colatura

Tartari natronati	*partes duas,* . .	2
Mannae	*partes tres* . . .	3
et cola denuo. Colatura efficiat . . .	*partes quindecim.*	15

Sit coloris fusci.

Jodum.

Tabulae ponderosae, metallice-nitentes, crystallinae, molles, friabiles, odoris peculiaris; in aqua pro minima parte, in spiritus partibus decem, in aethere, chloroformio et carboneo sulphurato largiter solubiles; amyli cocti etiam minimam quantitatem colore violaceo tingat. In solutione natri subsulphurosi initio sine colore et perfecte solvantur. Ignitae sine residuo avolantes.

Caute servetur.

Kali aceticum.

R. **Acidi acetici diluti** . . *partes centum,* **100**
satura **Kali bicarbonici** . . *partibus quadraginta octo* **48**
aut tantum, ut liquor per aliquod tempus calefactus ad chartam exploratoriam indifferens sit, filtra et sub perpetua agitatione in balneo vaporis ad siccum evapora.

Pulvis candidus, squamosus, crystallinus, quam minime alkalina reactione; aëri expositus humescens, in aquae partibus duabus, in Spiritus partibus quatuor plane solubilis. In solutione natrum bitartaricum praecipitatum efficiat crystallinum; solutio aqua hydrosulphurata, baryo chlorato ne, argento nitrico quam minimum turbetur.

In vitris bene clausis serva.

Kali bicarbonicum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, in aëre persistentes, rhomboideae et tabulaeformes, aut columnares, in aquae partibus quatuor, in spiritu minime solubiles. Solutio acido tartarico abundante permixta effervescat, et praecipitatum album, crystallinum producat. Solutio aquosa magnesia sulphurica ne turbetur. Eadem aqua hydrosulphurata ne mutetur, et acido nitrico neutralisata baryo chlorato ne, argento nitrico quam minimum turbetur.

Kali bichromicum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli majores, coloris rubri, prismaticae seu tabulaeformes, anhydrae, in aquae frigidae partibus decem, facilius in aqua fervida solubiles, in spiritu insolubiles.

Caute servetur.

Kali carbonicum crudum.

Praeparatum officinarum propriarum.

Massa salina, albida, viridescens seu caerulescens, caustica, aëre humescens et deliquescens, cum copia duplici aquae liquorem turbidam praebens. Solutio filtrata acido hydrochlorato abundante permixta aqua hydrosulphurata ne mutetur. In filo platinae excandescens flamma colorem violaceum et non flavum accipiat. In partibus centum partes minimum septuaginta kali carbonici puri contineat.

Kali carbonicum depuratum.

R. **Kali carbonici crudi** . . . . . *partem unam,* . 1
infunde in vase fictili-siliceo cum
Aquae destillatae . . . . *partibus duabus,* 2
sepone per biduum, saepius agitando, per linteum cola, evapora in lebete ferreo polito, donec cuticula salina oriatur, sepone per biduum loco frigido, per linteum cola, tum liquor limpidus inter perpetuam agitationem ad siccum evaporet. Massam salinam grosse contritam adhuc calidam in vas vitreum ingere.

Sal albus, pulverulentus, aëre facile deliquescens, in pondere aequali aquae fere limpide solubilis. Solutio acido nitrico neutralisata aqua hydrosulphurata nullam, baryo chlorato levissimam turbationem, argento nitrico minimum praecipitatum praebeat.

Kali carbonicum purum.

Kali bicarbonicum pulveratum in lebete ferreo polito calefiat, donec portiuncula exemta in aquae aequali quan-

titate solvatur. Adhuc calidum in vitrum bene obturandum ingere.

Pulvis albissimus, siccus, aëre deliquescens, in aquae aequali pondere limpide solubilis; ceterum uti Kali bicarbonicum se gerens.

Kali causticum fusum.

R. **Liquoris Kali caustici recens parati** *quantum vis,* evaporet celeriter in patina argentea, donec massa ex rubro candescens oleï instar fluat, effunde in formam leniter calefactam, canaliculatam, et immitte statim in vas optime claudendum.

Bacilli albi aut ex albo cinerei, sicci, fragiles, in fractura crystallini, valde caustici, aëri expositi deliquescentes. Solutio aquosa cum quadruplici spiritus quantitate mixta tantummodo minimum praecipitatum crystallinum seu sedimentum aquosum praebens.

Ad reagentia uti Kali carbonicum depuratum se gerat.

Caute servetur.

Kali causticum siccum.

R. **Liquoris Kali caustici recens parati** *quantum vis,* evaporet in vase argenteo celeriter, donec gutta in lapidem frigidum demissa concrescat. Tum leniori igne massa spathula argentea agitetur, donec pulvis crassus remaneat, qui adhuc calidus in vas siccum calefactum bene claudendum immittatur.

Pulvis albus, aëre facile deliquescens, nisi quod plus aquae tenet, ceterum uti Kali causticum fusum se gerens.

Caute servetur.

Kali chloricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, nitentes, diaphanae, lamellares aut tabulaeformes, in aëre persistentes, in aquae frigidae partibus sedecim, fervidae partibus tribus solubiles. Solutio acido hydrochlorato mixta obscure ex viridi flavum colorem accipiat, gase chlori avolante. Eadem aqua hydrosulphurata ne, argento nitrico quam minimum turbetur. Exaestuatae residuum ad chartam exploratoriam indifferens relinquant.

Kali nitricum.

Praeparatum officinarum propriarum.

Crystalli diaphanae, prismaticae aut pulvis crystallinus, albus, ad chartam exploratoriam indifferens, in aëre persistens, in aquae frigidae partibus tribus, fervidae partibus decimarum quatuor solubilis; leni calore liquefiens, prunis injectus deflagrans, residuum alkalinum relinquens. Solutio argento nitrico vix opalescat.

Kali sulphuricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli aut crustae crystallinae cohaerentes, durae, prismaticae, sexangulo truncatae, coloris expertes, ad chartam exploratoriam indifferentes, in aëre tepido non fatiscentes, in aquae frigidae partibus novem, fervidae partibus quatuor solubiles. Solutio kali carbonico et aqua hydrosulphurata ne turbetur.

Kali tartaricum.

R. **Kali bicarbonici** . . . . *partes sex,* . . 6
Aquae destillatae . . . . *partes duodecim.* 12
Ad bullitum calefactis adde
Tartari depurati pulverati . . . *partes novem* . 9
aut tantum, ut kali carbonicum paullum praevaleat. Liquor filtratus ad crystallisationem epavoret. E lixivio remanente evaporatione crystalli plures etiam obtineri possunt.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, ad chartam exploratoriam indifferentes aut paullulum alkalinae, in aquae frigidae tribus quadrantibus, fervidae dimidia parte solubiles.

Ad reagentia solutio acido nitrico admixto uti eadem Kali bicarbonici se gerat.

Kalium jodatum.

R. **Jodi** . . . . . . *partes duodecim,* 12
Aquae destillatae . *partes septuaginta duas,* . . 72
Ferri in filis . . . *partes quatuor,* 4
in patina porcellanica in balneo vaporis saepe conquassando leniter calefiant, donec liquor initio fuscus decolor evaserit. Tum liquor de ferro non soluto in aliam patinam defundatur et ferrum bene abluatur. In liquoribus commixtis solve
Jodi . . . . . . *partes quatuor,* 4
tum soluta sensim infunde in liquorem bullientem paratum e
Kali bicarbonici . . *partibus quatuordecim,* . . . 14
Aquae destillatac . *partibus quadraginta quinque.* 45
Si ferrum oxydulato-oxydatum non plane praecipitatum sit, pauxillum kali bicarbonici soluti insuper addatur. Tum filtretur, eluatur, liquor evaporet et loco calido in crystallos redigatur.

Crystalli albae, cubicae, in aquae tribus quadrantibus, spiritus partibus sex solubiles; solutio paullulum alkalino reagens, aqua calcis ne turbetur, neve ammonio sulphurato, acido tartarico ne fuscescat. Sedimentum, quod argento nitrico praecipitatione obtinueris, cum ammonio caustico quassatum liquorem praebeat, qui addita acidi nitrici copia abundante turbidus modo appareat, praecipitatum autem non efficiat.

Caute servetur.

Kalium sulphuratum.

R. **Sulphuris depurati** . . . . *partem unam,* 1
Kali carbonici puri . . . . *partes duas,* 2
intime misce et in vase porcellanico leni igni exponantur, donec peracta effervescentia massa tranquille fluat, et portiuncula exemta in aquae partibus duabus perfecte solvatur. Tunc in mortarium porcellanicum effusam frigefactam in pulverem crassum redige et statim in vase sicco bene clauso serva.

Sit coloris fusci instar hepatis, deinde ex viridi flavi, perfecte in aquae partibus duabus usque ad tres quadrantes partes et in spiritu solubile; acidis additis gas hydrosulphuratum, sulphure secreto, emittat.

Kalium sulphuratum pro balneo.

R. **Sulphuris sublimati** . . . . *partem unam,* 1
Kali carbonici crudi pulverati . . *partes duas.* . 2
Misce et in lebete ferreo satis amplo et tecto leni igni exponantur, donec peracta effervescentia in massam homogeneam coeant et portiuncula exemta aqua soluta sulphurem non coactum non emittat. Tunc in mortarium fer-

reum effunde, et massam refrigeratam in pulverem crassum redactam statim in vas bene claudendum ingere.

Sit ex viridi flavum, in aqua, excepto residuo parvo nigro, solubile.

Kino.

Pterocarpus Marsupium *Mart.*

Frustula irregularia, angulosa, ex atro fusca, splendentia, in margine rubicundo diaphana, facile friabilia, pulverem rubrum praebentia, inodora, manducata valde adstringentia; in aqua frigida turgescentia et pallescentia, aquam autem subrubente colore tingentia, in aqua fervida turbide, in spiritu coloris obscure rubicundi solubilia.

Extractum e cortice arboris in Malabare indigenae.

Kreosotum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Liquor coloris expers, tempore flavescens aut rubescens, limpidus, odoris penetrantis, in aquae frigidae partibus octoginta, fervidae partibus viginti quatuor, in spiritu, aethere et oleis in omni proportione solubilis; in liquore kali caustico perfecte, in liquore ammonii caustici non solubilis.

Caute servetur.

Lactucarium.

De planta materna vide: Herba Lactucae.

Frusta irregularia, flava aut e flavo fusca, sicca, friabilia, fractura cerea, odore gravi narcotico, sapore subamaro. Aqua trita solutionem turbidam praebentia, mas-

sam tenacem relinquentia, et in spiritu et in aethere partim solubilia.

Caute servetur.

Succus lacteus e vulnerato caule effluens et aëre induratus.

Lapides Cancrorum.

Astacus fluviatilis *Fabric.*

Sunt orbiculares, plano- vel concavo-convexi, pisi magnitudinis et ultra, albidi, e lamellis, quarum deinceps altera alteri imposita est, compositi, in aqua insolubiles, in acido hydrochlorato cum effervescentia solubiles, lamellas diaphanas, gelatinosas lapidum forma relinquentes; solutio ammonio caustico paullum praecipitatur.

Artificiales ex argilla aut creta parati tum in has discedentes, tum in acido hydrochlorato insolubiles rejiciantur.

Concrementa ventriculo geminatim inhaerentia, mense Augusto, quo tempore cancer crustam mutat, reperienda.

Lapides Cancrorum praeparati.

Lapides Cancrorum superfunde aqua fervida, ablue et redige praeparatione in pulverem subtilissimum, quem bene siccatum serva.

Sit pulvis albus, subtilissimus. Acido nonnullo superfuso effervescat.

Lapis calaminaris.

Frusta cinerea, e viridi flava aut caerulea, fractura inaequali, terrea, effervescentia in acidis solubilia, prae-

sertim e zinco carbonico constantia. Cave, ne nimis acido silicico adulterata adhibeantur, quod acido hydrochlorato gelatinose residit.

Lichen Islandicus.

Cetraria Islandica *Acharius.*

Thallus erectus, foliaceus, varie laciniatus, fimbriatus, canaliculatus, antice fuscus, postice pallidior, basi sanguineus, in sicco rigidus, fragilis, humectatus mollescens, subcoriaceus; saporis amari, cum aqua coctus refrigeratione gelatinam relinquens. Lichena aliena, praesertim e familia Cladoniacearum, muscique varii et folia Pinorum et aliae quisquiliae semper Licheni Islandico admixta, eo conciso per cribrum facillime removenda.

Lichen in planitie Europae borealis in montibus Europae mediae et australis nascens.

Lignum Campechianum.

Haematoxylon Campechianum *L.*

Lignum in truncorum codicibus magnis, extus e caeruleo atris, intus obscure e fusco rubris, durum, ponderosum, in fissura grosse fibrosum, in segmento transverso circulis concentricis, approximatis, undulatis et radiis medullaribus decussatum; odoris proprii, debilis, saporis subdulcis, inter masticandum subadstringens et salivam colore violaceo tingens. In officinis merx prostat scissa in scobes vel ramentorum crines interdum nitore ex aureo viridescenti praeditos.

Arbor in territorio sinus Mexicani nec non in insulis Antillarum crescens, unde lignum advehitur.

Lignum Guajaci.

Guajacum officinale *L.*

Lignum ponderosum, compactum, durum; duramine resinoso, e subviridi fusco, alburno leviori, pallide subflavo; calefactum odorem benzoinum spargit. Rasura venalis frustulis albidis, ex alburno vel e lignis alienis ortis, ne nimis sit mixta.

Arbor Indiae occidentalis, unde lignum advehitur.

Lignum Juniperi.

De planta materna vide: Fructus Juniperi.

Lignum trunci et radicis, in fustibus cylindricis, circiter quatuor centimetra crassis; cortice saepissime tectis tenui, fibroso, obscure fusco, facile separabili a ligno denso, albido vel subrubello, resinoso, annulis concentricis annuis paucis radiisque medullaribus numerosissimis et angustissimis praeditam, vasis carens, in segmento transverso igitur non poroso. Lignum radicis resiniosior, obscurior praeferatur.

Lignum Quassiae.

Quassia amara *L.*

Lignum albidum, leve, in segmento transverso radiis medullaribus circulisque concentricis etiam sub lente angustissimis decussatum, in fustibus cylindricis, ad octo centimetra crassis, cortice tenui, facile separabili obtectis vel decorticatis, saporis amarissimi. Rasura venalis ne adhibeatur, neve lignum Picrasmae excelsae *Planchon,* sic dictum Jamaicense, quod prostat in truncis circiter tria decimetra crassis, in segmento transverso radiis medullaribus

circulisque concentricis latioribus, oculo nudo satis manifestis praeditis, cortice crassiusculo lignoso tectis.

Frutex vel arbuscula Guyanensis, unde lignum advehitur.

Lignum Santali rubrum.

Pterocarpus santalinus *L.*

Lignum in segmentis diversae magnitudinis, compactum, ponderosum, e fusco rubrum vel sanguineum, in fissura grosse fibrosa, fibris oblique diverseque contextis et canalibus angustis (vasis), manifestis, tesselatis praeditum, in segmento transverso a circulis concentricis et radiis medullaribus decussatum. In mercatura plerumque molitum occurrit, pulverem exhibens subtilissimum levissimumque, saturate et pulchre rubrum, ex quo aqua frigida fere nihil, spiritus facile pigmentum rubrum resinosum extrahit.

Arbor Zeylanica et Indiae orientalis, unde lignum advehitur.

Lignum Sassafras.

Sassafras officinale *Nees.*

Radix magna, lignosa, ramosa, in fustibus flexuosis, diversae magnitudinis; cortice crassiusculo, suberoso, extus rimoso, griseo, intus ferrugineo; ligno levi, subspongioso, pallide subfusco vel pallide rubente, in segmento transverso praesertim ad initium annuli cujusque annui concentrici manifeste poroso; odoris foeniculacei, saporis subdulcis.

Arbor Americae borealis, unde merx advehitur.

Linimentum ammoniatum.

R. **Olei Olivarum Provincialis** . . . *partes quatuor,* 4
Liquoris Ammonii caustici . . . . *partem unam.* 1
In vase vitreo conquassentur, donec perfecte coëant.
Sit album, subfluidum, homogeneum.

Linimentum ammoniato-camphoratum.

R. **Olei camphorati** . . . . *partes quatuor,* 4
Liquoris Ammonii caustici . . . *partem unam.* 1
In vase vitreo conquassentur, donec perfecte coëant.
Sit album, subfluidum, homogeneum.

Linimentum saponato-camphoratum.

R. **Saponis domestici rasi** . . *partes viginti quatuor,* 24
Saponis oleacei rasi . . . *partes duodecim,* . . 12
Spiritus . . . . *partes ducentas et viginti quatuor,* 224
Camphorae . . . . *partes quinque,* . . . 5
solve in cucurbita vitrea in balneo vaporis, filtra adhuc calida in vas bene claudendum, adde
Olei Thymi . . . . *partem unam,* . . . 1
Olei Rosmarini . . . . . *partes duas,* . . . 2
Liquoris Ammonii caustici . *partes octo.* 8
Liquor in vase clauso iterum calefactus statim effundatur in vasa vitrea, quae bene clausa in aqua frigida quam citissime refrigerentur.
Sit ex albo subflavum, subdiaphanum, opalescens.

Linimentum saponato-camphoratum liquidum.

R. **Saponis oleacei rasi** . . . . *partes triginta sex,* 36
Spiritus diluti *partes ducentas et viginti quatuor,* . 224
Camphorae . . . . *partes quinque,* . 5

leni calore solutis adde

Olei Thymi . . . . *partem unam,* . . 1
Olei Rosmarini . . . . *partes duas,* . . 2
Liquoris Ammonii caustici . . *partes octo.* . . . 8

Refrigeratum filtra.

Sit limpidum, subflavum.

Liquor Ammonii acetici.

R. **Liquoris Ammonii caustici** . . *partes decem,* . 10
Acidi acetici diluti . . . . . . *partes tredecim* . 13
aut tantum, ut ad neutralisationem sufficiat et dilue cum
Aquae destillatae . . . . *tanto,*
ut totum habeat pondus . . . . *partium triginta.* 30

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilis et quantum obtineri potest, ad chartam exploratoriam indifferens; ponderis specifici = 1,028 usque ad 1,032. Continet 15 partes ammonii acetici in 100 partibus.

Aqua hydrosulphurata, argento nitrico in liquore diluto et baryo chlorato ne turbetur.

Liquor Ammonii anisatus.

R. **Olei Anisi** . . . . *partem unam,* 1
solve in **Spiritus** . . . . *partibus viginti quatuor* 24
et adde **Liquoris Ammonii caustici** *partes quinque.* . . 5

In vitro bene clauso servetur. Sit limpidus, subflavus.

Liquor Ammonii carbonici.

R. **Ammonii carbonici** . . . . *partem unam,* . 1
solve in **Aquae destillatae** . . . . . . *partibus quinque* 5
et filtra.

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilis, ponderis specifici = 1,070 usque ad 1,074. Uti ammonium carbonicum exploretur.

In vitris epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.

R. **Ammonii carbonici pyro-oleosi**	.	*partem unam,* .	1
solve in **Aquae destillatae**	. . . . .	*partibus quinque.*	5

Seponatur per aliquot dies et filtretur.

Sit limpidus, subflavus, tempore e flavo fuscescens, plane volatilis, ponderis specifici = 1,065 usque ad 1,070. Uti Ammonium carbonicum pyro-oleosum exploretur.

In vitris coloratis bene clausis servetur.

Liquor Ammonii caustici.

R. **Calcariae**	. . . .	*partes quinque,* .	5
exstingue **Aquae communis**	. . . . .	*partibus duabus,*	2
misce cum **Ammonii chlorati**	. . . .	*partibus quatuor,*	4
antea cum **Aquae communis**	. . . .	*partibus duabus*	2

mixtis. Ingere in cucurbitam vitream, melius ferream, in balneo arenae aut super carbones ardentes positam, quam cum vitro, tribus aperturis praedito conjunge tubo vitreo, ad fundum usque porrecto. Altera apertura contineat tubum securitatis causa, aqua clausum, tertia tubum curvatum, in excipulum partium duodecim aquae capax ad fundum pertinentem. Vas medium contineat

Aquae communis . . . . . . *partem dimidiam,*

excipulum vero

Aquae destillatae . . . . . . *partes octo.* . . 8

Leni igne, deinde igne aucto fiat extricatio gasis excipulo bene refrigerando.

Liquor in excipulo collectus cum tanta **Aquae destillatae** copia misceatur, ut pondus specificum sit = 0,960.

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilis, odoris ammoniacalis non empyreumatici. Aqua calcariae mixtus nullam aut levissimam turbationem praebeat; acido acetico largius justo saturatus et aqua destillata dilutus argento nitrico, ammonio oxalico, et aqua hydrosulphurata ne mutetur.

Continet 10 partes ammonii anhydri in 100 partibus.

In vasis epistomiis vitreis clausis servetur.

Liquor Ammonii caustici spirituosus.

R. **Calcariae** . . . . *partes quinque,* 5
Ammonii chlorati . . . . *partes duas,* . 2
seorsim pulveratas intime et cito misce, ingere in vas vitreum, melius ferreum, quod ad dimidiam partem impleatur, et fac uti in liquore ammonii caustici parando praescriptum, nisi quod gas ammonii spiritu luatur et in excipulum
Spiritus . . . . *partes quatuor* 4
ingerantur.

Liquor limpidus, coloris expers, valde ammonium, non empyreuma redolens, ponderis specifici = 0,808 usque ad 0,810. Aqua destillata mixtus in reagentia uti liquor ammonii caustici se gerens. Continet 10 partes ammonii anhydri in 100 partibus.

In vitris epistomiis bene clausis servetur.

Liquor Ammonii succinici.

R. **Acidi succinici pulverati** . . . . . *partem unam,* 1
solve in **Aquae destillatae** . . . . *partibus octo,* 8
adde **Ammonii carbonici pyro-oleosi** . . *partem unam,* 1

vel quantum ad neutralisationem requiritur. Liquorem per horas viginti quatuor sepositum filtra.

Sit limpidus, subfuscus, tempore obscurescens, ad chartam exploratoriam indifferens, odoris empyreumatici, ponderis specifici = 1,050 usque ad 1,054. Cum spiritus triplici mixtus, limpidus appareat, calefactus residui nihil relinquens.

In vasis bene obturatis servetur.

Liquor Ferri acetici.

R. **Liquoris Ferri sulphurici oxydati** *partes decem,* . **10**
misce cum **Aquae destillatae** . . . . *partibus triginta,* **30**
Liquoris Ammonii caustici . . *partes octo* . . **8**
cum **Aquae destillatae** . . . *partibus centum sexaginta* **160**
mixtis sub perpetua agitatione addantur, sed vide, ut reactionem alkalinam praebeat. Praecipitatum inde ortum linteo immissum, bene aqua destillata eluatur, et exprimatur, donec ferri hydrici pondus sit *partium quinque.* **5**

Hoc comminuto in lagenam immisso affunde
Acidi acetici diluti . . . . . *partes sex,* . . **6**
conquassando stent per aliquot dies et filtra. Filtrato tantum Aquae destillatae adde, ut pondus hujus sit partium decem.

Liquor colore obscure ex rubro fusco, acidum aceticum valde redolens, calefactus turbescens, ponderis specifici = 1,134 usque ad 1,138, ferri partes octo continens in 100 partibus. Ammonio caustico excedente addito filtratum aqua hydrosulphurata ne turbetur, neve in balneo vaporis residuum relinquat.

In vasis bene clausis servetur.

Liquor Ferri chlorati.

R. **Acidi hydrochlorati puri** *partes quingentas viginti*, 520
in cucurbitam satis amplam infusis sensim immitte
Ferri in filis seu limati . *partes centum et decem*. . 110
Quum gasis evolutio fere cessaverit, cucurbita per aliquot horas stet in balneo vaporis, tum liquor a ferro non soluto filtratione accelerata separetur et
Acidi hydrochlorati puri *parte una* 1
addita, tantum Aquae destillatae admisceatur, ut pondus par sit 1000 partibus.

Liquor ferri chlorati ferri contineat partes 10 in 100 partibus; pondus specificum sit = 1,226 usque ad 1,230.

Sit limpidus, subviridis, spiritu admixto ne turbetur, aqua hydrosulphurata quam minimam turbationem albam praebens, liquore natri caustici excedente admixto filtratum aqua hydrosulphurata ne turbetur.

In vasis bene clausis, non amplis servetur.

Liquor Ferri sesquichlorati.

R. **Ferri sesquichlorati** . . . . . . *partes duas*, 2
Aquae destillatae . . . . *partem unam*. 1
Solvantur.

Sit limpidus, coloris e croceo fusci, ponderosus, reactiones uti Ferrum sesquichloratum praebens. Pondus specificum sit = 1,480 usque ad 1,484; ferri contineat 15 partes in 100 partibus.

In vase obturamento vitreo claudendo servetur.

Liquor Ferri sulphurici oxydati.

R. **Ferri sulphurici puri** . . . . . *partes viginti*, . 20
solve in **Aquae destillatae** . . . . . *partibus viginti*, 20
admisce **Acidi sulphurici puri** . . . *partes quatuor*, 4

in patina porcellanica usque ad bullitum calefactis sensim admisce

Acidi nitrici puri . . . . . . *partes sex,* . . 6

donec kali hypermanganicum solutum non amplius decoloretur. Liquor evaporet, donec in massam instar resinae mutatus sit, quam in

Aquae destillatae . . . . . . *partibus viginti* 20

solve et filtrato tantum Aquae destillatae addatur, ut pondus specificum sit = 1,340; ferri 8 partes contineat in 100 partibus.

Sit limpidus, e subfusco flavus, consistentiae fere syrupi; liquore ammonii caustici excedente admixto filtratum nec aqua hydrosulphurata turbetur, nec ferro sulphurico et acido sulphurico coloretur, nec calefactum residuum relinquat.

In vase bene clauso servetur.

Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati.

R. **Hydrargyri nitrici oxydulati** . *partes centum,* 100

in mortario porcellanico subtiliter tritis adde

Acidi nitrici puri . . . . . . *partes quindecim,* 15

et sensim et calore evitato solve in

Aquae destillatae *partibus octingentis octoginta quinque.* 885

Sit limpidus, coloris expers, contineat 10 partes hydrargyri nitrici oxydulati in 100 partibus; ad reagentia uti Hydrargyrum nitricum oxydulatum se gerens.

Paretur ex tempore.

Liquor Kali acetici.

R. **Acidi acetici diluti** . . *partes centum,* 100

satura **Kali bicarbonici** . . . *partibus quadraginta octo* 48

aut *tanto,* ut liquor per aliquot tempus in balneo vaporis calefactus ad chartam exploratoriam indifferens sit. Tum filtra et affunde tantum

Aquae destillatae, ut pondus totius sit *partium centum quadraginta duarum.* **142**

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici = 1,176 usque ad 1,180. Continet 33,3 partes kali acetici in 100 partibus. Ad reagentia uti kali aceticum se gerat.

Serva in vitris bene clausis.

Liquor Kali arsenicosi.

R. **Acidi arsenicosi in frustulis,** **1**
Kali carbonici puri, singulorum . . *partem unam.* **1**
Acidum arsenicosum sedulo contritum coque cum Kali carbonico et Aqua destillata in cucurbita, donec plane solutum sit. Solutis, refrigeratis et filtratis adde
Spiritus Angelicae compositi . . *partes quatuor* **4**
et **Aquae destillatae** quantum satis, ut pondus totius liquoris sit *partium centum.* **100**

Cautissime servetur.

Partes centum continent Acidi arsenicosi partem unam.

Liquor Kali carbonici.

R. **Kali carbonici puri** . . . . . . *partes undecim,* **11**
solve in **Aquae destillatae** . . . . . *partibus viginti,* **20**
filtra et, si opus fuerit, *tantum* **Aquae destillatae** adde, ut liquoris pondus specificum sit = 1,330 usque ad 1,334, quod respondet 33,3 partibus kali carbonici in 100 partibus.

Sit limpidus, coloris expers, ad reagentia uti kali bicarbonicum se gerens.

Liquor Kali caustici.

R. **Kali carbonici depurati** . *partes quatuor,* . . . 4
solve in **Aquae communis** . . *partibus quadraginta,* . 40
calefactis in lebete ferreo ad coquendum adde sensim
Calcariae . . . . *partes duas et dimidiam,* $2^1/_2$
Aquae communis . . . *partibus duodecim* . . 12
extinctas. Mixtum tamdiu coquatur, donec portiuncula exemta et filtrata acido hydrochlorato affuso non amplius effervescat. Liquorem adhuc calidum in bene obturanda vasa vitrea seu figulina effunde. Postquam subsederunt, quae indissolubilia sunt, liquor limpidus ope siphonis in vas bene claudendum transfundatur. Quae subsederint, cum
Aquae communis fervidae
partibus decem ad duodecim 10 12
agitentur, et iterum subsidant; liquor limpidus iterum uti antea abstrahatur. Liquores commixti in lebete perfecte mundato igne celeri evaporent, donec partes eorum quatuor compleant vas, quod capax sit aquae partium trium.

Sit limpidus, coloris expers aut paullum subflavus, ponderis specifici = 1,330 usque ad 1,334, kali partes viginti octo in 100 partibus continens.

Acido hydrochlorato affuso quam minime effervescens, ceterum uti kali carbonicum depuratum se gerens. In lagenis vitreis epistomiis vitreis bene clausis **caute** servetur.

Liquor Natri caustici.

R. **Natri carbonici crudi** . . . . . *partes quatuor,* 4
solve in lebete ferreo in **Aquae communis** *partibus sedecim,* 16
ad bullitum calefactis adde mixtum e
Calcariae . . . . *parte una,* . . 1
Aquae communis, ... *partibus quatuor,* 4
et fac ut ad liquorem kali caustici parandum praescriptum est.

Sit limpidus, coloris expers aut paullum subflavus, acidis affusis quam minime effervescens, ponderis specifici = 1,330 usque ad 1,334, natri 24 partes in 100 partibus continens, ceterum uti natrum carbonicum crudum se gerens.

In vasis vitreis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

Liquor Plumbi subacetici.

R. **Plumbi acetici** . . . . *partes tres*, . 3
Lithargyri . . . . *partem unam*, . 1
exacte contere, mixta in lagenam immitte, quae sensim
Aquae destillatae . . . . *partibus decem* 10
additis compleatur. Lagenam clausam saepissime conquassando sepone, donec paullulum modo residui albi non solutum remaneat. Tum filtra.

Sit limpidus, coloris expers, chartam exploratoriam rubram colore caeruleo tingens, kali caustico addito praecipitatum album in hoc abundante solubile praebens, quae solutio aqua hydrosulphurata colore nigro praecipitetur. Pondus specificum sit = 1,236 usque ad 1,240.

Caute in vasis vitreis epistomiis vitreis clausis servetur.

Liquor seriparus.

De abomaso vituli lactentis aqua abluto tunica interna deradatur.

Tunicae derasae . . . . . . *partibus tribus* . 3
affunde **Vini albi** . . . . *partes viginti sex* 26
et adde **Natrii chlorati** . . . . . *partem unam*, . 1

Per triduum saepius conquassando macera, tum filtra.

Sit limpidus, coloris subflavi, acidi nonnisi valde exiguam copiam continens.

Liquor Stibii chlorati.

R. **Stibii sulphurati laevigati** . . . . *partem unam,* 1
in retortam satis amplam immissae affunde
Acidi hydrochlorati crudi . . . . *partes quatuor.* 4
In retorta calefiat, donec omnis gasis evolutio cessaverit. Solutum refrigeratum per alumen plumosum filtretur et in retorta destilletur, donec gutta liquidi destillati aqua lactescat. Refrigeratus liquor **Acido hydrochlorato diluto** admiscendo ad pondus specificum = 1,350 usque ad 1,400 redigatur.

Sit limpidus, flavus, sex aquae partibus mixtus praecipitatum copiosum, album praebens, quod in acido tartarico solvatur, et aqua hydrosulphurata aurantiaco colore praecipitetur.

Caute servetur.

Lithargyrum seu Plumbum oxydatum.

Praeparatum officinarum metallariarum.

Pulvis e flavo ruber, subtilis, ponderosus, in aqua insolubilis, in acido nitrico vix conspicua effervescentia solubilis. Hac solutione ammonio caustico abundante mixta hoc ne caerulescat. Solutio acido sulphurico colore albo, aqua hydrosulphurata colore nigro praecipitetur.

Caute servetur.

Lycopodium.

Lycopodium clavatum *L.*

Pulvis subtilissimus, sub microscopio ex cellulis constans minutissimis, reticulato-costatis, tetragono-glo-

bosis, pyramidem trigonam, basi maxime convexam efficientibus; maxime mobilis, digitis adhaerens, coloris pallide flavi, aquae innatans, quacum non facile miscetur, flammae inspersus celerrime cum strepitu, sine fumo deflagrat. Sit plane siccus, a quisquiliis liber, nec adulteratus polline saturatius flavo Pinorum, Coryli aliarumque plantarum certissime microscopio discernendo, nec amylo nec farina pisi, quae caeruleo colore noscuntur adjecta Jodi solutione, nec arena.

Fruticulus repens in Europa, Asia, America boreali crescens.

Macis.

Myristica fragrans *Houttuyn.*

Arillus seminis tunicam exhibens ooideam, tenuem, subcorneam, fragilem, aurantiaci coloris, pinguiter nitentem, basi integram, sed perforatam, sursum laceram et multifidam, in mercatura compressam vel fractam; manducatus urens, odoris peculiaris, aromatici.

Arbor insularum Moluccarum indigena et culta, unde merx advehitur.

Magnesia carbonica.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Massae cohaerentes, valde friabiles, levissimae, in acido nitrico sub effervescentia solubiles. Solutio ammonio carbonico ne praecipitetur, sed addito acido phosphorico praecipitetur. Solutio eadem baryo chlorato, argento nitrico quam minimum, aqua hydrosulphurata nullum praecipitatum praebeat.

Magnesia sulphurica.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, splendentes, prismaticae, aëre vix subfatiscentes, ad chartam exploratoriam indifferentes, inaquae frigidae partibus duabus, fervidae parte una solubiles.

Aqua hydrosulphurata solutio ne mutetur. Una pars cocta cum partibus tribus barytae carbonicae et aqua reactionem alkalinam filtrati ne praebeat.

Magnesia sulphurica sicca.

Magnesia sulphurica loco tepido dilabatur, donec quadrantem ponderis sui amiserit. Pulvis per cribrum trajiciatur.

Pulvis subtilis, albus, puritatis salis crystallisati.

Si pulvis magnesiae sulphuricae postulatur, magnesia sulphurica sicca dispensanda est.

Magnesia usta.

Magnesia carbonica in crucibulo tecto aut vase ferreo calefiat, donec particula ejus cum aqua mixta acido sulphurico diluto addito non amplius effervescat.

Pulvis levissimus, albus, subtilis, in acido sulphurico diluto sine effervescentia solubilis.

In vitro bene clauso serva.

Manganum hyperoxydatum.

Massae ponderosae, e cinereo nigrescentes, crystallinae aut compactae, metallice splendentes, friabiles, in-

quinantes, cum acido hydrochlorato calefactae chlorum emittentes.

Pulveris subtilissimi 10 partibus cum decuplo acidi hydrochlorati, quintuplo aquae et quadraginta partibus ferri sulphurici calefactis filtratum ferro-kalio cyanato rubro colore caeruleo ne praecipitetur, quod 60 partibus mangani hyperoxydati efficacis in 100 partibus responderet.

Manna.

Fraxinus Ornus *L.*

Frusta planiuscula aut canaliculata, obsolete trigona, facile friabilia, fractura stratis concentricis, sub lente visa e crystallis parvis composita apparent, colore e subflavo albido, aut frustula irregularia, albida vel subflava, fuscescentibus intermixta, parva, subviscida, variae magnitudinis, sapore dulci cum acredine quadam. In aqua et spiritu fervido solubilia. Rejiciatur Manna subfluida, impura, saepe etiam fermentescens, colore obscuriori.

Succus e truncis sauciatis effluens et aëre induratus arboris in Sicilia et Calabria indigenae et cultae.

Mastiche seu Resina Mastiche.

Pistacia Lentiscus *L. γ.* **Chia** *DC.*

Grana subrotunda, pisi plerumque magnitudine, subflava, superficie pulverulenta, fractura vitri instar splendentia, pellucida, facile terenda, manducata mollescentia. In spiritu frigido partim, in fervido plane solubilia.

Succus e truncis ramisque sauciatis exsudatus et aëre induratus arbusculae in insula Chio cultae.

Medulla.

Bos Taurus *L.*

Pinguedo solida, coloris e subflavo albi, odoris expers, calore 40° liquescens.

Medulla cavum ossium tubulosorum explens leni calore liquefacta, per linteum colata, in vitris minoribus, bene clausis servetur.

Mel.

Apis mellifica *L.*

Recens syrupi spissi diaphani consistentia, tractu temporis in massam granulosam, opacam mutatur, coloris pallide flavi, flavi vel ex subfusco flavi, saporis perdulcis, odoris proprii, in aqua et spiritu solutione paullum turbida solubile.

Cave ne sit acidum, neve farina adulteratum, rejiciatur quod ex America ad nos adfertur.

Mel depuratum.

R. **Mellis** . . . . *partem unam,* . **1**
cum **Aquae communis** . . . . *partibus duabus* **2**
calefactam in vase stanneo, calore fere 100° per horam bullitum evitando, refrigerescat ad 50 usque ad 40° et liquor per manicam laneam filtratus in balneo vaporis ad syrupi spissitudinem evaporet, demum coletur.

Sit limpidum, cum aqua mixtum limpidum maneat; coloris sit e flavo fusci, nec odoris nec saporis empyreumatici acidive.

Loco frigido servetur.

Mel rosatum.

R. **Florum Rosae** . . . . *partem unam,* 1
infunde **Aquae fervidae** . . . . *partibus sex.* . 6
Per noctem sepone, tum exprime et filtra. Liquor obtentus misceatur cum
Mellis depurati . . . . *partibus decem* 10
et evaporet in balneo vaporis ad syrupi spissitudinem, deinde coletur. Loco frigido servetur.

Sit limpidum et fuscum.

Minium seu Plumbum hyperoxydatum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Pulvis laete ruber, ponderosus, in acido nitrico pro parte solubilis, superoxydum fuscum relinquens, acido oxalico addito calore usque ad residuum fere non conspicuum solubilis.

Caute servetur.

Mixtura oleoso-balsamica.

R. **Olei Lavandulae,** 1
Olei Majoranae, ... 1
Olei Caryophyllorum, ... 1
Olei Macidis, ... 1
Olei Cinnamomi Cassiae, ... 1
Olei Citri, singulorum . . . . *partem unam,* . 1
Olei Rutae, ... $^1/_2$
Olei Succini rectificati, singulorum *partem dimidiam,* $^1/_2$
Balsami Peruviani, . . *partes unam et dimidiam,* $1^1/_2$
Spiritus . . . . . . *partes ducentas quadraginta.* 240
Mixta per aliquot dies loco frigido sepone, subinde conquassa, tum filtra.

Sit limpida, flavescens. In vase bene clauso serva.

Mixtura sulphurica acida.

R. **Acidi sulphurici puri** . . . . . . *partem unam,* 1
agitando sensim in **Spiritus** . . . . . . *partes tres* . 3
instilla.

Sit limpida, coloris expers, ponderis specifici = 0,998 usque ad 1,002.

In vase epistomio vitreo munito servetur.

Mixtura vulneraria acida.

R. **Aceti crudi** . . . . *partes sex,* . 6
Spiritus diluti . . . . *partes tres,* . 3
Acidi sulphuri diluti . . . . . . *partem unam,* 1
Mellis depurati . . . . *partes duas.* . 2
Mixta filtra et serva in vase clauso.

Sit limpida, primum flava, tempore fuscescens.

Morphinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli albae, nitidae, prismaticae, non fatiscentes, saporis amari, in aqua, aethere et chloroformio vix, in spiritu facilius, in acidis dilutis, in alkaliis et in calcaria aqua extincta large solubiles. Solutio in acido sulphurico abundante kali bicarbonico ne turbetur. Acido nitrico affuso colorem obscure hyacinthino-rubrum ducant. Contritae et ferro sesquichlorato diluto affuso, acidi hydrochlorati gutta addita colorem caeruleum accipiant, aut reagenti abundante caeruleo-viridem. Calefactae liquescant, vapores inflammabiles expellant et sine residuo deflagrent.

Cautissime servetur.

Morphinum aceticum.

R. **Morphini** . . . . *partem unam,* 1
misce agitando in mortario porcellanico cum
Acidi acetici diluti . . . . *parte una,* . 1
solutio in temperatura 50° non excedente ad siccum evaporet et residuum in pulverem teratur. Pulvis albidus, acidum aceticum redolens, sapore peramaro, in aqua facile, in spiritu difficilius solubilis; inflammatus sine residuo deflagrans.

In vase bene clauso **cautissime** servetur.

Morphinum hydrochloratum.

R. **Morphini** . . . . *partes quinque,* 5
in pulverem tritis affunde
Aquae destillatae . . . . *partes viginti,* 20
calefac in balneo vaporis et adde
Acidi hydrochlorati diluti . . . *partes quatuor,* 4
aut *tantum,* ut morphinum solvatur. Solutio limpida in crystallos redigatur, quae inter chartam bibulam siccentur.

Crystalli albae, tenues, sericeo-nitentes, fasciculatim conjunctae, saporis peramari, in spiritu, in natro caustico abundante et in aquae partibus viginti perfecte solubiles; inflammatae sine residuo deflagrantes.

Cautissime servetur.

Moschus.

Massa primum unctuosa, deinde grumosa, grana variae magnitudinis referens, obscure fusca, pinguiter nitens, trita in stratum tenue extenuanda, secreta et inclusa in

folliculo proprio, intus membrana tenui, fusca vestito, e quo exemta et a membranis et pilis purgata adhibeatur; saporis subamari, odoris peculiaris, diu persistentis, fragrantissimi. Folliculus fere semiglobosus, tria ad quatuor usque centimetra latus, hinc planiusculus, glaber, illinc convexus pilisque obsitus e luteo subfuscis, apice obscurioribus, rigidis, in ambitu adpressis, circum duo foramina subcentralia in verticem erectis.

Cave a folliculis adulteratis moscho partim exemto corporibus heterogeneis farctis. Moschum folliculis exemtum venalem, ex vesicis dictum, adhibere non licet. Omnino rejiciatur Moschus Russicus vel Kabardinicus, in folliculo massam continens clariorem, odoris multo debilioris et urinae similis.

Folliculus prope genitalia maris Moschi moschiferi positus est, animalis in montibus Asiae mediae indigeni.

Mucilago Cydoniae.

R. **Seminis Cydoniae** . . . . . *partem unam,* . . 1
affunde **Aquae Rosae** . . . . . *partes quinquaginta.* 50

Stent per aliquot horas saepius agitando, tum cola.

Mucilago Gummi Arabici.

R. **Gummi Arabici electi** . . . . . *partem unam,* . 1
cum **Aqua communi lotam** 1
solve in **Aquae destillatae** . . . . . *partibus duabus* 2
et cola. Sit fere limpida, pallide flava, saporis fatui,

Mucilago Salep.

R. **Tuberum Salep pulveratorum** . . *partem unam,* . 1
immitte in lagenam, quae continet
Aquae communis . . . . . . *partes decem,* . 10
conquassando bene misce, affunde
Aquae ebullientis . . . . . . *partes nonaginta,* 90
quo facto mixta in vase ad refrigerationem conquassentur.

Ad dispensationem recens paretur.

Myrrha seu Gummi-resina Myrrha.

Balsamodendron Ehrenbergianum *Berg,* **fortasse et Balsamodendron Myrrha** *Nees.*

Frusta irregularia, variae magnitudinis, extus pulverulenta, superficie iniqua, interdum subglobosa, colore subflavo aut ex rubenti fusco, friabilia, fractura cerae instar nitentia, ibidem coloris pallidius aut obscurius ex rubenti fusci, interdum venis pallidis perducta; odore peculiari balsamico, sapore amaro. Pro majore parte in aqua solutione turbida, e flavo fusca, pro minore parte in spiritu solutione ex rubenti flava solvitur, adjecto acido nitrico violacea.

Rejiciantur frusta atrofusca, odore ingrato, quorum solutio spirituosa acido nitrico in colorem violaceum non vertitur, aut frusta in aqua plane solubilia aut turgescentia.

Succus e cortice exsudatus et aëre induratus arbusculae in Arabia indigenae.

Natrium chloratum.

Praeparatum salinarum.

Crystalli albae, parvae, cubicae, aut pulvis crystallinus, in aquae frigidae et fervidae 2,7 partibus solubilis, calefactus crepitans, flammam colore flavo tingens.

Natrum aceticum crudum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli prismaticae, pellucidae, aëre sicco dilabentes, in aquae partibus quatuor solubiles. Solutio diluta aqua hydrosulphurata nullam, argento nitrico et baryo chlorato quam minimam turbationem praebens.

Natrum aceticum purum.

R. **Acidi acetici diluti** . . . . . . *partes octoginta,* 80
Natri bicarbonici . . . . . . *partes triginta,* 30
fac uti in Kali acetico dictum, liquor filtratus in crystallos redigatur.

Crystalli coloris expertes, pellucidae, aëre sicco dilabentes, in aquae frigidae partibus tribus, fervidae partibus aequalibus, spiritus partibus viginti solubiles. Solutio diluta aqua hydrosulphurata, baryo chlorato, et argento nitrico ne turbetur.

Natrum bicarbonicum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crustae crystallinae aut forma carentes, albissimae, aëre non fatiscentes, in aquae frigidae partibus tredecim solubiles, haud in spiritu. His cum aquae partibus quinque conquassatis et filtratis solutioni magnesiae sulphuricae affusis haec ne turbetur. Solutio cum acido nitrico abundante saturata baryta nitrica et argento nitrico nullam aut quam minimam turbationem praebeat, aqua hydrosulphurata ne mutetur.

Natrum carbonicum crudum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, aëre fatiscentes, aut massae crystallinae, in aquae frigidae partibus duabus, fervidae minus quam una parte solubiles, calefactae deliquescentes. Aqua hydrosulphurata nec solutio pura nec acidulata mutetur.

Natrum carbonicum depuratum.

R. **Natri carbonici crudi** . . . . . *partes quatuor,* 4
solve in **Aquae fervidae** . . . . . . *partibus tribus,* 3
cola adhuc fervidam solutionem per linteum densum in vas figulinum seu porcellanicum aquae frigidae immersum et eandem usque ad refrigerationem agita. Crystalli separatae in infundibulo colligantur, cui pauxillum gossypii in fundo applicatum sit, et sensim aqua destillata abluantur, donec fluidum filtratum acido nitrico addito baryo chlorato nullam, argento nitrico quam minimam turbationem praebeat. Crystalli expansae siccentur, sed cave ne fatiscant.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, parvae, quarum solutio contra reagentia ita, ut supra dictum, se gerat.

Natrum carbonicum siccum.

Natrum carbonicum depuratum in pulverem crassum redactum loco tepido ad fatiscendum expone, donec circiter dimidiam partem ponderis sui amiserit. Pulvis omnino siccus albus per cribrum trajice et in vase bene clauso serva.

Si pulvis natri carbonici postulatur, natrum carbonicum siccum dispensandum est.

Natrum nitricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, rhomboideae, aquam non continentes, in aëre sicco non mutabiles, in aquae frigidae partibus duabus, et minus quam parte una fervidae solubiles. Solutio aquosa aqua hydrosulphurata et natro carbonico ne turbetur, baryta nitrica et argento nitrico quam minimam turbetur.

Pulvis cum eadem quantitate aquae chlori conquassatus hac ne coloretur.

Natrum phosphoricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, aëre sicco fatiscentes, klinorhomboideae, in aquae frigidae partibus quatuor, fervidae partibus duabus solubiles, alkaline reagentes, addito acido non effervescentes. Acido nitrico solutio acidulata baryo chlorato, et argento nitrico quam minimum turbetur. Aqua hydrosulphurata nec alkalina nec acidulata solutio mutetur.

Natrum sulphuricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, aëre sicco facile fatiscentes, calore deliquescentes, in aquae frigidae partibus tribus, in temperatura 33° parte tertia, in temperatura 100° partibus quinque duabus solubiles, ad chartam exploratoriam indifferentes. Solutio aquosa aqua hydrosulphurata et

ammonio sulphurato ne turbetur, argento nitrico quam minimum turbetur.

Natrum sulphuricum siccum.

Paretur e **Natro sulphurico** uti **Natrum carbonicum siccum.**

In vase bene clauso servetur.

Si pulvis Natri sulphurici postulatur, Natrum sulphuricum siccum dispensandum est.

Olea aetherea.

Olea aetherea officinalia destillatione, rarius expressione obtineantur. Destillatio fiat eo modo, ut plantae partes, si recentes quadruplo, si siccae octuplo aquae communis in vesica destillatoria infundantur, et in igne aperto destillent, donec cum aquae vaporibus oleum aethereum evadit. Cave autem, ne continentia vesicae adurantur.

Aut destillatio ita fiat, ut aquae vapores per plantae partes in aqua maceratas et cribro collectas transducantur.

Vapores evadentes prorsus condensentur. Oleum ab aqua separetur, filtretur, si non limpidum est, et in lagunculis bene obturatis ad lucem et aëra tutum servetur. Olea aetherea, nisi aliud praescriptum est, destillatione parentur.

Olea aetherea plane avolantia, sint proprietate indicata et odorem spargant excitatissimum earum substantiarum, e quibus parata sunt, et rectificentur, si luce aut aëris contactu color et consistentia eorum mutata sunt.

Ne adulterata sint spiritu, oleis pinguibus aut aethereis. Cum spiritu commixta plerumque minus pondus specificum, quam olea pura praebent, et, si cum aqua

conquassantur, volumina in proportione spiritus additi diminuuntur. Platino reducto iis humectato post tempus breve acidum aceticum redolet et cum natrio vive gas hydrogenii oritur.

Admixtio olei pinguis dignoscitur maculo diaphano post avolationem olei aetherei in charta relicto et, nisi oleum ricini admixtum est, majore spiritus copia, quae ad solutionem opus est.

Viliora olea aetherea admixta saepe odore cognoscuntur, si oleum in charta bibula aut in aqua calida lente avolat. Oleo terebinthinae admixto solubilitas olei in spiritu plerumque diminuitur, jodum sub effervescentia et plus minusve vehementi fulminatione solvitur, si oleum purum illud tranquille et sine effervescentia solvit.

Oleum Absinthii.

Paretur ex **Herba Absinthii.**

Oleum aethereum tenue, coloris e subfusco viridis, lucis vi viridescens, in omni spiritus proportione ad liquorem limpidum solvitur; cum natrio paullum gasis hydrogenii excitans, recens jodum tranquille, vetustum fulminanter solvit; ponderis specifici = 0,93 usque ad 0,95.

Oleum Amygdalarum.

Ex Amygdalis dulcibus grosso modo pulveratis, sacco cannabino inclusis, ope preli, laminis tepefactis, exprimatur. Placentis pulveratis et in balneo vaporis tepefactis, operatio bis repetatur. Oleum per aliquod tempus sepositum per chartam bibulam filtretur et in vasis siccatis, bene clausis servetur. Sit limpidum, colore pallide

flavo, non exsiccans, odoris expers, saporis mitis, non rancidi, nec frigore spissescens.

Oleum Amygdalarum amararum aethereum.

R. **Amygdalarum amararum contusarum** *quantum vis.*
Liberentur ope preli ab oleo pingui, residuum pulveretur et cum

Aquae communis *sextuplo*

ad emulsionem conteratur. Post horas viginti quatuor e vesica destillatoria destilletur, donec oleum aethereum transit, quod ab aqua separetur, filtretur et in vasis bene obturatis **cautissime** servetur.

Aqua destillata aut ad novam destillationem adhibeatur aut e vesica repurgata destillet, quamdiu e destillato oleum aethereum secernit, quod primo obtento addatur.

Sit subflavum, chartam exploratoriam rubefaciens, tempore crystallos acidi benzoici demittens, in omni spiritus proportione limpide solubile; cum natrio paullum gasis hydrogenii excitans, jodum sine effervescentia solvens; ponderis specifici = 1,04 usque ad 1,06.

Solutio olei spirituosa, in qua acido hydrochlorato zincum solutum est, solutione calcariae hypochlorosae neque in colorem caeruleum neque rubicundum vertatur.

Oleum animale aethereum.

Oleum animale foetidum e retorta in balneo arenae collocata destillet, quamdiu oleum tenue transit, quod cum copia Aquae quadruplice mixtum iterum destillet, donec coloris expers appareat. Ab aqua separatum in lagunculis optime clausis a luce et aëre tutatum servetur.

Sit coloris expers aut subflavum, odoris gravissimi proprii ingrati, alkaline reagens; cum natrio gas hydrogenii nullum excitans, cum jodo paullulum fervescens; ponderis specifici sit 0,80 usque ad 0,82.

Oleum animale foetidum.

Liquor oleosus, obscure fuscus, fere niger, alkaline reagens, odore et sapore nauseoso, empyreumatico, in tribus partibus spiritus solubilis, destillatione oleum valde fluidum, pallidum praebens. Rejiciendum destillatione parte magis volatilis olei privatum.

Destillatione sicca e partibus animalium obtinetur.

Oleum Anisi.

Paretur e **Fructibus Anisi.**

Oleum aethereum subflavum, crassiusculum, frigore lamellatim crystallino concrescens, saporis mitis, dulciusculi, in omni spiritus proportione limpide solubile, cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo sine fulminatione effervescens; ponderis specifici sit = 0,97 usque ad 0,98.

Oleum Copaivae.

R. **Balsami Copaivae** . . . . *partem unam,* 1
Aquae communis . . . . *partes octo.* . 8

Mixtura e retorta destillet, quamdiu cum vaporibus aquae oleum transit, quod tum ab aqua separetur.

Sit coloris expers aut subflavum, odoris aromatici, in spiritus partibus quadraginta usque ad sexaginta solubile; cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo non fulminans; ponderis specifici = 0,80 usque ad 0,91.

Oleum Bergamottae.

Citrus Bergama *Risso.*

Oleum aethereum pallide flavum, aut e viridi flavum, odoris suavissimi, saporis amariusculi, in omni spiritus proportione ad liquorem limpidum, interdum opalescentem solubile, cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici = 0,87 usque ad 0,88.

Ne cum Oleo Citri et Oleo Corticis Aurantii mixtum sit, quod odore cognoscendum est, si guttae nonnullae in aqua fervida avolant.

E cortice fructuum recentium in Italia expressione paratur.

Oleum Cacao.

Semina Cacao leniter tosta, a testis liberata, in vase ferreo calefacto subtilissime trita, sacco inclusa, ope preli, cujus laminae calefactae sunt, exprimantur. Tum massa liquata loco calido per chartam bibulam filtretur et in taleolas effundatur. Colore e subflavo albo, odore grato seminis cacao, sapore miti, in temperatura consueta fragile, graduum + 30 liquescens.

Oleum Cajeputi.

Melaleuca Leucadendron *L.* **et Melaleuca minor** *Smith.*

Oleum aethereum tenue, viride aut e subflavo viride, odoris penetrantis rosmarini similis aut camphoracei, in lingua sensum frigoris excitans, in omni spiritus proportione solubile; cum natrio gasis paullum hydrogenii excitans, cum jodo non fulminans; ponderis specifici = 0,915 usque ad 0,925.

Oleum, quod cuprum continet et cum solutione ferrokalii cyanati conquassatum hanc rubefacit, rejiciendum est.

E foliis recentibus arborum in Moluccis indigenarum destillatione paratur.

Oleum Cajeputi rectificatum.

R. **Olei Cajeputi** . . . . *partem unam,* 1
Aquae communis . . . . *partes sex,* 6
destillent, quamdiu oleum coloris expers aut subflavum obtineatur.

Oleum proprietatum olei Cajeputi.

Oleum Calami.

Paretur e **Rhizomate Calami.**

Oleum aethereum flavidum, spissiusculum, in omni spiritus proportione solubile; cum natrio aliquid gasis hydrogenii excitans, cum jodo non fulminans; ponderis specifici = 0,93 usque ad 0,98.

Oleum camphoratum.

R. **Camphorae** . . . . *partem unam,* . 1
solve in **Olei Olivarum provincialis** . . *partibus novem.* 9
In vasis bene clausis serva.

Oleum Carvi.

Paretur e **Fructibus Carvi.**

Oleum aethereum coloris expers aut subflavum, tenue, in lingua urens, in spiritu facile solubile; cum natrio gas hydrogenii excitans, jodum si recens paratum, sine fervore solvens, si vetustius, plus minus fervescens usque ad fulminationem; ponderis specifici = 0,91 usque ad 0,92.

Oleum Caryophyllorum.

Paretur e **Caryophyllis.**

Oleum aethereum coloris expers aut subflavum, paullatim fuscescens, spissiusculum, in lingua urens, in omni spiritus proportione solubile; cum natrio paullum hydrogenii excitans, cum jodo non fulminans; ponderis specifici = 1,03 usque ad 1,05.

Oleum Chamomillae aethereum.

Paretur e **Floribus Chamomillae vulgaris.**

Oleum aethereum coloris caerulei saturati, spissum, saporis amariusculi, in spiritus octo partibus solubile; cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo plus minusve fervescens sine fulminatione; ponderis specifici = 0,94 usque ad 0,95.

Servetur in lagenis minimis bene obturatis, a luce diligentissime remotis.

Oleum Chamomillae citratum.

Paretur e **Florum Chamomillae vulgaris**
partibus quadringentis octoginta, **480**
Olei Citri . . . *parte una.* **1**

Oleum aethereum coloris caerulei saturati, tenue, in spiritus partibus decem solubile, cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo valde fervescens, et fulminans; ponderis specifici = 0,915 usque ad 0,92.

Servetur in lagenis minimis bene obturatis, a luce diligentissime remotis.

Oleum Chamomillae infusum.

R. **Florum Chamomillae vulgaris** . . *partem unam,* 1
Spiritus *quantum satis*, ut flores probe humectentur, stent per aliquot horas loco calido,
tum adde **Olei Olivarum provincialis** . . *partes decem* 10
et digere in balneo vaporis donec spiritus exhalatus sit, tum exprime, filtra et serva loco frigido.

Sit coloris e flavo viridis, odoris non rancidi.

Oleum Cinnamomi Cassiae.

De planta materna vide: Cortex Cinnamomi Cassiae.

Oleum aethereum flavidum, tempore in colorem obscuriorem vergens et crystallos acidi cinnamomici demittens, in omni spiritus proportione solubile; cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo non fulminans; ponderis specifici = 1,04 usque ad 1,06.

Paratur destillatione corticis.

Oleum Cinnamomi Zeylanici.

De planta materna vide: Cortex Cinnamomi Zeylanici.

Oleum aethereum subflavidum ad aureum usque, tempore in colorem obscuriorem vergens et crystallos acidi cinnamomici demittens, spissiusculum, in omni spiritus proportione solubile; cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo non fulminans; ponderis specifici = 1,04 usque ad 1,09.

Paratur destillatione corticis.

Oleum Citri.

De planta materna vide: Cortex Fructus Citri.

Oleum aethereum recens subturbidum, demum limpidum, subflavum, tenue, cum decem partibus spiritus liquo-

rem turbidum praebens; cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici = 0,84 usque ad 0,87.

Paratur expressione corticis fructuum recentium in Italia. Sicilianum est praeferendum.

Oleum Cocois.

Cocos nucifera *L.*

Pingue album, frigore solidum, subgranulosum, calore 15° molle, calore 23° liquescens; odoris proprii.

E seminibus arboris tropicos totius orbis habitantis ope coctionis paratum.

Oleum Corticis Aurantii.

De planta materna vide: Cortex Fructus Aurantii.

Oleum aethereum subflavum, saporis amariusculi, cum spiritus quinque partibus solutionem turbidam praebens; cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici = 0,83 usque ad 0,86.

Ne adulteretur cum oleo Citri Aurantii *Risso,* quod odorem mitiorem et saporem non amarum praebet.

Aut expressione aut destillatione corticis fructuum recentium in Italia paratur.

Oleum Crotonis.

Tiglium officinale *Klotzsch.*

Oleum pingue subspissiusculum, flavum vel e fusco flavescens; primum mite, demum in lingua acerrime urens et pustulas excitans, odore ingrato. In triginta et sex partibus spiritus, et in aethere solubile. **Caute** servetur.

Expressione cautissime perficienda seminum decorticatorum et contusorum arbusculae in Bengalia indigenae obtinetur.

Oleum Cubebarum.

Paretur e **Cubebis.**

Sit coloris expers, nimis spissum, odoris aromatici, in spiritus partibus viginti quinque solubile; cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo aliquantum fervescens; ponderis specifici = 0,90 usque ad 0,93.

Oleum Florum Aurantii.

De planta materna vide: Cortex fructus Aurantii.

Oleum aethereum recens, coloris expers, tenue, tempore flavidum, ex rubicundo usque e fusco flavum, saporis amariusculi, in spiritu facile solubile, majore spiritus copia dilutum opalescens; cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici = 0,85 usque ad 0,90.

Paratur destillatione florum.

Oleum Foeniculi.

Paretur e **Fructibus Foeniculi.**

Oleum aethereum coloris expers aut subflavidum, tenue, frigore rigescens, saporis subdulcis, linguam paullum urens, in aequali spiritus pondere solubile; cum natrio paullum gasis hydrogenii excitans, cum jodo plus minus fervescens, nec fulminans; ponderis specifici = 0,96 usque ad 0,99.

Oleum Fructuum Juniperi.

Paretur e **Fructibus Juniperi.**

Oleum aethereum coloris expers aut subflavescens, tenue, in aëre celeriter resinose spissescens, saporis amariusculi, in spiritus duodecim partibus turbide solubile; cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici = 0,85 usque ad 0,87.

Oleum Hyoscyami infusum.

Paretur e **Foliis Hyoscyami** uti **Oleum Chamomillae infusum.**

Sit coloris saturate viridis, odoris proprii non rancidi.

Oleum Jecoris Aselli.

Gadus Morrhua *L.*, **Gadus Callarias** *L.*, **Gadus Carbonarius** *L.*

Oleum pingue coloris aurantiaci aut e rubicundo flavi, odoris piscini.

Ne sit rancidum, neve turbidum, neve liquor, qui oleo cum acido acetico diluto conquassato et filtrato obtinetur, kali bichromico colore flavo, neve acido sulphurico colore albo praecipitetur.

Expressione aut eliquatione hepatum piscium maria zonae mediae frigidae habitantium obtinetur.

Oleum Juniperi empyreumaticum.

Juniperus Oxycedrus *L.*

Oleum empyreumaticum, obscure fuscum, spissiusculum,. picis liquidae simile.

Destillatione sicca ligni fruticis in Europa meridionali indigeni obtinetur.

Oleum Lauri.

De planta materna vide: Fructus Lauri.

Oleum unguinosum granulosum, viride, odore laurino aromatico, in sesqui partibus aetheris solubile.

Aqua coctione et expressione fructuum recentium paratur.

Oleum Lavandulae.

De planta materna vide: Flores Lavandulae.

Oleum aethereum subflavum aut e subviridi subflavum, saporis amariusculi, in omni spiritus proportione limpide solubile; cum natrio paullum gasis hydrogenii excitans, cum jodo valde fulminans; ponderis specifici = 0,87 usque ad 0,92.

Paratur destillatione florum.

Oleum Lini.

De planta materna vide: Semen Lini.

Oleum pingue limpidum, flavum, exsiccans, sapore miti, odore proprio, in graduum — 16 temperatura rigescens, in sesqui partibus aetheris, in quinque partibus spiritus absoluti solubile.

Expressione seminum contusorum et calefactorum obtinetur.

Oleum Lini sulphuratum.

R. **Olei Lini** . . . . *partes sex,* . 6
fervefac in vase ferreo satis amplo, adde
Sulphuris . . . . *partem unam* 1

et coque, spathula semper movendo et effervescentiam evitando, donec massa spissescat, et refrigerata gelatinae instar appareat.

Sit colore ex rubro fusco, in oleo terebinthinae plane solubile.

Oleum Macidis.

Paretur e **Macide.**

Oleum aethereum coloris expers aut subflavum, tenue, saporis mitis, in spiritu facile solubile, spiritu porro adjecto leviter opalescens; cum natrio paullulum gasis hydrogenii excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici = 0,89 usque ad 0,93.

Oleum Majoranae.

Paretur ex **Herba Majoranae.**

Oleum aethereum subflavum, tenue, saporis amariusculi, in omni spiritus proportione limpide solubile; cum natrio gas hydrogenii lente excitans, cum jodo fervescens sine fulminatione; ponderis specifici = 0,90 usque ad 0,92.

Oleum Melissae.

Paretur e **Foliis Melissae.**

Oleum aethereum coloris expers aut subflavum, tenue, in spiritu facile solubile; cum natrio paullum gasis hydrogenii excitans, cum jodo valde fervescens, nec fulminans; ponderis specifici = 0,86 usque ad 0,92.

Oleum Menthae crispae.

Paretur e **Foliis Menthae crispae.**

Oleum aethereum subflavum aut e flavo subviride, tempore spissescens, in omni spiritus proportione solubile;

cum natrio gas hydrogenii vive excitans; cum jodo valde fervescens, interdum fulminans; ponderis specifici = 0,93 usque ad 0,94.

Oleum Menthae piperitae.

Paretur e **Foliis Menthae piperitae.**

Oleum aethereum coloris expers, aut subflavidum, interdum viridescens, tenue, tempore spissescens, in lingua sensum frigoris excitans; spiritus pari pondere solutionem limpidam praebens, majore spiritus copia adjecta limpidam manentem, interdum turbidam; cum natrio gas hydrogenii lente excitans; cum jodo plus minusve fervescens, sed non fulminans; ponderis specifici = 0,89 usque ad 0,91.

Oleum Myristicae.

De planta materna vide: Macis.

Oleum sebi spissitudinis, in mercatura saepe in frustis quadrangulis proveniens, colore aurantiaco, e flavescenti albido aut rubicundo variegato, odore peculiari myristicae; in quatuor partibus aetheris ferventis plane solubile, in graduum + 68 temperatura liquescens.

Expressione seminum obtinetur.

Oleum Olivarum.

Olea Europaea *L.*

In usu sunt duae species:

1) Oleum Olivarum optimum seu Provinciale, coloris pallide flavi, odoris pene expers, saporis mitis;

2) Oleum Olivarum commune seu viride, coloris flavi seu ex viridi flavi, odoris plus minus ingrati, rancidi.

Utrumque ad gradus paucos supra 0° ad massam granulosam, unguinosam rigescit.

Oleum pingue expressione fructuum arboris in Europa australi indigenae et cultae obtinetur.

Oleum Ovorum.

Gallus domesticus Temminck.

R. **Vitelli Ovorum** *quantum vis,*
calefac in sartagine stanneo balnei vaporis ope sub continua agitatione, donec oleum digitorum vi facile exprimi possit. Tum, sacculo linteo inclusos, inter laminas, immersione in aquam fervidam calefactas, fortiter exprime. Oleum expressum filtra et in vitris minoribus optime clausis serva.

Sit frigore spissum, opacum, coloris vitellini, calefactum subfluidum, pellucidum, saporis fere expers.

Oleum Papaveris.

De planta materna vide: Semen Papaveris.

Oleum pingue subflavum, aëre siccescens, odoris fere nullius, saporis mitis.

Expressione seminum paratur.

Oleum Petroselini.

Paretur e **Fructibus Petroselini.**

Oleum aethereum subflavum usque ex subfusco flavum, spissiusculum, saporis initio mitis, demum os paullum urens, in omni spiritus proportione solubile; cum natrio paullum gasis hydrogenii excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici = 1,0 usque ad 1,14.

Oleum phosphoratum.

R. **Phosphori bene sicci** . . . . . *partem unam,* . 1
Olei Amygdalarum . . . . *partes octoginta.* 80

Immitte phiolae, quam in aquam calidam immerge, ut phosphorus liquetur. Tum vas agitetur et, solutione peracta, refrigeratum oleum a phosphoro forsan secreto caute decantetur.

Sit limpidum, fumans, phosphorum redolens. Paretur ex tempore.

Oleum Ricini.

Ricinus communis *L.*

Oleum pingue paullum spissum, frigore rigescens, coloris expers aut subflavum, saporis mitis, in spiritus proportione omni solubile. Oleum rancidum, acre et radens est rejiciendum.

Expressione seminum calefactorum aut eorum coctione cum aqua in India orientali et occidentali et in Europa australi obtinetur.

Oleum Rosae.

Rosa moschata *Miller.* **Rosa Damascena** *Miller* **et aliae species.**

Oleum aethereum coloris expers aut pallide subflavum, spissum, in temperatura consueta crystallinum, in temperatura $+ 25^{0}$ liquescens, in spiritus nonaginta partibus in temperatura $+ 17^{0}$ solubile; cum natrio gas hydrogenii vive excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici $= 0{,}832$.

Adulteratio cum oleo Geranii, quod dicunt, cum spiritu in omni proportione liquorem limpidum praebenti,

majore in spiritu solubilitate dignoscitur. Cetaceum admixtum dignoscitur remanentia, si paucae guttae in balneo vaporis evaporant.

Paratur destillatione florum fruticum in Orienti indigenorum.

Oleum Rosmarini.

De planta materna vide: Folia Rosmarini.

Oleum aethereum coloris expers, tenue, saporis amari, in lingua sensum frigoris excitans, in spiritu facile solubile; cum natrio paullum gasis hydrogenii excitans, cum jodo plus minusve fervescens; ponderis specifici = 0,885 usque ad 0,91.

Paratur destillatione herbae florentis.

Oleum Rutae.

Paretur ex **Herba Rutae.**

Oleum aethereum pallide flavum, e viridi seu e subfusco flavum, saporis amariusculi, in omni spiritus proportione solubile; cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo aliquid fervescens sine fulminatione; ponderis specifici = 0,86 usque ad 0,91.

Oleum Sabinae.

Paretur e **Summitatibus Sabinae.**

Oleum aethereum coloris expers aut pallide subflavum, tenue, mox spissescens, spiritus pari pondere solutionem limpidam praebens, quae magna spiritus copia opalescit; cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo valde fulminans; ponderis specifici = 0,92 usque ad 0,94.

Caute servetur.

Oleum Salviae.

Paretur e **Foliis Salviae.**

Oleum aethereum pallide flavidum, tenue, saporis amariusculi, in omni spiritus proportione solubile; cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo sine fulminatione fervescens; ponderis specifici = 0,91 usque ad 0,92.

Oleum Sinapis.

R. **Seminis Sinapis** . . . . *partem unam,* 1
contunde et oleum pingue, quantum fieri potest, exprime. Remanentem in pulverem subtilem redige, admisce
Aquae communis . . . . *partes quatuor* 4
et macera per horas duodecim. Tum vapores per mixturam transeant, quamdiu oleum aethereum prodit, destillato bene refrigerando. Oleum in fundo receptaculi obtentum ab aqua separetur, si necesse est, filtretur, et in vasis bene clausis **caute** servetur.

Aqua ab oleo separata in destillatione sequenti adhibeatur. In praeparatione olei vasa cuprica seu plumbica evitanda sunt.

Oleum aethereum coloris expers aut flavidum, tenue, odoris penetrantissimi, lacrimas elicientis, in lingua vehementissime urens, cuti impositum fervorem, inflammationem et vesicam prodens. In omni spiritus proportione solubile, cum natrio gas hydrogenii excitans, jodum sine ulla reactione solvens; ponderis specifici = 1,01 usque ad 1,02.

Oleum Spicae.

Lavandula Spica *Chaix.*

Oleum aethereum coloris expers aut subflavidum, tenue, in omni spiritus proportione solutionem limpidam praebens;

cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo fulminans; ponderis specifici = 0,88 usque ad 0,90.

Destillatione ramorum florentium suffruticis in regione mediterranea indigeni praesertim in Gallia obtinetur.

Oleum Succini crudum.

Oleum fuscum, spissiusculum, odoris proprii empyreumatici, in spiritus octo partibus solubile; cum natrio gas hydrogenii non excitans, cum jodo fervescens; ponderis specifici = 0,95 usque ad 0,97.

Destillatione sicca succini obtinetur.

Oleum Succini rectificatum.

Paretur ex **Oleo Succini crudo** uti **Oleum Cajeputi rectificatum.**

Oleum aethereum, tenue, subflavum, tempore flavescens, subfuscescens et spissescens, odoris proprii empyreumatici, saporis amariusculi, in spiritus octo partibus solubile; ad natrium et jodum uti oleum crudum se gerens; ponderis specifici = 0,85 usque ad 0,89.

Oleum Tanaceti.

Paretur ex **Herba Tanaceti.**

Oleum aethereum pallide flavum, usque e viridi flavum, tenue, saporis amariusculi, proprii; in omni spiritus proportione limpide solubile; cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo plus minusve fervescens sine fulminatione; ponderis specifici = 0,91 usque ad 0,93.

Oleum Terebinthinae.

De planta materna vide: Colophonium.

Oleum aethereum coloris expers aut pallide flavidum, tenue, saporis amari, in spiritus quatuor partibus solubile; cum natrio paullum gasis hydrogenii excitans, cum jodo vehementer fulminans; ponderis specifici = 0,86 usque ad 0,89.

Quod odorem empyreumaticum praebet, rejiciendum est.

Destillatione e terebinthina obtinetur.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Paretur ex **Oleo Terebinthinae** uti **Oleum Cajeputi rectificatum.**

Oleum aethereum coloris expers, limpidum, plane avolans; ponderis specifici = 0,86 usque ad 0,88.

Oleum Terebinthinae sulphuratum.

R.	**Olei Lini sulphurati**	*partem unam,*	**1**
	Olei Terebinthinae	*partes tres.* .	**3**

Solve digerendo. Postquam subsederunt, decanta.

Sit limpidum, coloris e rubro fusci.

Oleum Thymi.

Paretur ex **Herba Thymi.**

Oleum aethereum coloris expers, flavidum aut e subfusco flavum, tenue, saporis amariusculi, linguam urens, in omni spiritus proportione liquorem limpidum praebens; cum natrio gas hydrogenii vivaciter excitans, cum jodo paullulum fervescens; ponderis specifici = 0,89 usque ad 0,90.

Oleum Valerianae.

Paretur ex **Radice Valerianae.**

Oleum aethereum flavidum, e subfusco aut e subviridi flavum, spissiusculum, in omni spiritus proportione liquorem limpidum praebens, reactionis valde acidae; cum natrio gas hydrogenii excitans, cum jodo fervescens sine fulminatione; ponderis specifici = 0,94 usque ad 0,96.

Olibanum seu Gummi-resina Olibanum.

Boswellia serrata *Colebroke* **et Boswellia papyrifera** *Hochstetter.*

Grana subglobosa, lacrimaeformia, variae magnitudinis, extus pulvere inspersa, coloris albidi ad e subfusco flavi aut subrufi usque, facile fragilia, fractura ceracea; manducata mollescentia aut diffluentia, sed majus vel minus residuum relinquentia, in ore frigoris sensum excitantia. Calefacta imperfecte liquescentia et odorem balsamicum spargentia. In spiritu pro maxima parte solubilia, cum aqua trita liquorem lacteum praebentia.

Succus induratus e trunco stillans arborum in India orientali et Africa indigenarum.

Opium.

Papaver somniferum *L.*

Placentae plerumque paullo compressae vel subglobosae, ad tres quadrantis kilogrammatis pondere, Papaveris foliis involutis et Rumicis cujusdam fructibus conspersae. Recentes sunt molliores, intus pallide fuscae, e granulis vel lacrimis parvis consistentes, in discissione placentarum conspicuis, exsiccatae obscuriores, fractura nitentes, ex rubro fuscae, in spiritu et in aqua partim solubiles; odore nauseoso-sopienti, sapore amaro.

Opium exsiccatum et pulveratum Morphini minimum 10 partes in 100 partibus contineat. Hoc ita cognoscitur, ut Opii partes octo cum aqua destillata extrahantur; filtrato kali bicarbonici pars una addatur et totum horas duodecim seponatur. Post filtrationem coquitur, quamdiu gas acidi carbonici extricatur. Praecipitatum ortum post viginti quatuor horas in acido sulphurico valde diluto solvitur, spiritus tantum additur, ut totius partes duodeviginti sint, ammonio caustico paullum superante morphinum praecipitatur, quod filtratur, siccatur et ponderatur.

Caute serva.

Succus lacteus e capsulis immaturis vulneratis effluxus et aëre induratus herbae annuae in Oriente spontaneae et cultae.

Os Sepiae.

Sepia officinalis *L.*

Sunt alba, oblonga vel ovalia, marginata, planiuscula quidem, sed utrinque paullo convexa, hinc friabilia, ex aciculis calcareis minimis, strata numerosissima, tenuissima, incumbentia formantibus composita, inde testa dura, fragili, verrucoso-zonata tecta; saporis salsi, in acido hydrochlorato cum effervescentia membranis relictis solubilia.

Testa intradorsalis mollusci in mari mediterraneo viventis.

Ova gallinacea.

Gallus domesticus Temminck.

Oxymel Aeruginis.

R.	**Aeruginis pulveratae** . . .	*partes tres,*	3
	Aceti crudi	*partes viginti quatuor,*	24

coque donec Aceti circiter tertia pars supersit, . . . 8
filtra, misce cum **Mellis depurati** *partibus viginti quatuor,* 24
evaporet in balneo vaporis, ut remaneant
partes viginti quatuor. 24

Sit coloris fusci, cupro oxydulato plus minusve turbidum, sed quod diutius asservatum nimiam cupri oxydulati copiam demisit, rejice.

Caute servetur.

Oxymel Scillae.

R. **Aceti Scillae** . . . . *partem unam,* 1
Mellis depurati . . . . *partes duas.* . 2
Mixta in balneo vaporis evaporent ad *partes duas,* . 2
deinde colentur. Loco frigido servetur.

Sit limpidum, ex flavo fuscum, saporis amari et acidi.

Oxymel simplex.

R. **Acidi acetici diluti** . . . . *partem unam,* . . 1
Mellis depurati . . . . . . *partes quadraginta.* 40
Misce. Sit limpidum, ex flavo fuscum.

Pasta Glycyrrhizae.

R. **Extracti Glycyrrhizae** . . . *partis quadrantem,* $^1/_4$
Gummi Arabici electi . . . . *partes quindecim,* . 15
Sacchari . . . . *partes novem.* . . 9
Solve in
Aquae communis frigidae *partibus quadraginta octo.* 48
Soluta et colata evaporent leni calore solummodo superficiem agitando, donec gutta laminae frigidae metallicae instillata commota fluere desinat. Tandem remota pellicula in capsulas planas effunde. Pastam modico calore

sufficienter exsiccatam et e capsulis exemtam in taleolas disseca et loco frigido serva.

Sit diaphana, coloris ex fusco flavi.

Pasta gummosa.

R. **Gummi Arabici electi,** 200
Sacchari, singulorum . . . . *partes ducentas.* . 200
Solve in **Aquae communis frigidae** *partibus octingentis.* 800
Liquor subsidendo et colando depuratus evaporet in balneo vaporis spathula lignea continuo agitando, ut supersint *partes quingentae.* 500
Tum paullatim admisceantur
Albuminis Ovorum recentium *partes ducentae quinquaginta* 250
in spumam densam mutatae et massa continuo agitando leni calore evaporet, donec aliquantulum exemtum a spathula mota difficulter defluat. Tandem admisceantur
Elaeosacchari Florum Aurantii . . . *partes duae* 2
et effundatur massa in capsulas papyraceas locoque calido exsiccetur.

Pastam in taleolas scissam loco frigido serva.

Sit albissima, levis et fragilis.

Petroleum crudum.

Liquor coloris expers, subflavus aut subruber, limpidus, iridescens; odoris proprii bituminosi; in oleis pinguibus et aethereis, in aethere et spiritu absoluto solubilis, difficile in spiritu. Pondus specificum sit = 0,75 usque ad 0,85.

Oleum in variis locis e terra effluens.

Petroleum rectificatum.

E **Petroleo crudo** destillando per aquae vapores paretur.
Sit coloris expers.

Phosphorus.

Substantia alba vel subflava diaphana, plerumque in bacillos formata, cerae instar splendens, aëri exposita fumum odoris alliacei spargens, loco obscuro lucens, facile inflammabilis, in temperatura 44° sub aqua ad liquidum limpidum, oleosum liquescens, non in aqua, parum in spiritu et aethere, paullo magis in oleis pinguibus et aethereis, quam maxime in carboneo sulphurato solubilis; vestigia sulphuris et acidi arsenicosi continens.

Sub aqua in vase vitreo, quod ipsum in pyxide lamina ferrea parata inclusum sit, **cautissime** servetur.

Pilulae aloëticae ferratae.

R. **Ferri sulphurici puri ad albedinem exsiccati,**
Aloës pulveratae, singulorum *partes aequales.*

Mixta contunde cum tanta Spiritus copia, ut massa pilularis fiat, ex qua formentur pilulae ponderis centigrammatum duodecim.

Sint nitidae, coloris nigri.

Pilulae Jalapae.

R. **Saponis jalapini** . . . . *partes tres,* . 3
Tuberum Jalapae pulveratorum . . *partem unam.* 1

Misce ut fiat massa pilularis, e qua formentur pilulae ponderis centigrammatum duodecim Lycopodio conspergendae.

Pix alba seu Resina Pini.

Abietinarum variae species.

Resina flava aut ex flavo fusca, opaca aut diaphana, fragilis, fractura nitenti, manu tractata emolliens, odore terebinthino.

Paratur coquendo resinae communis sub aqua.

Pix liquida seu Resina empyreumatica liquida.

Liquor spissus, oleosus, obscure fuscus, subdiaphanus, aqua gravior; odoris ingrati, empyreumatici, saporis amari, os urens.

Destillatione sicca ligni Abietinarum et Fagi obtinetur.

Pix nigra seu Resina empyreumatica solida.

Massa resinosa, nigra, opaca, in frigore fragilis, calore inter digitos ductilis; odore picis liquidae, cujus evaporatione obtinetur.

Plumbum aceticum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, diaphanae, in aquae frigidae partibus duabus, fervidae parte dimidia, in spiritus partibus octo solubiles. Solutio aquosa kali caustico admixto praecipitatum album praebeat, illo abunde addito solubile, quae solutio aqua hydrosulphurata colore nigro praecipitetur; ammonio caustico praecipitatum album praebeat et liquor filtratus colore caeruleo ne imbutus sit.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Plumbum jodatum.

R. **Plumbi acetici** . . . . *partes duodecim,* 12
solve in **Aquae destillatae** . . . . . *partibus centum,* 100
quibus guttae nonnullae **Acidi acetici diluti** additae sunt.
Solutionem filtratam admisce solutioni
e **Kalii jodati** . . . . *partibus decem* . 10
in **Aquae destillatae** . . . . *partibus centum,* 100
donec praecipitatum oriatur. Praecipitatum collectum **Aqua destillata** eluatur et siccetur.

Pulvis ex flavo aurantiacus, in aquae frigidae partibus mille et trecentis, fervidae ducentis sine residuo et coloris expers solubilis. Calore liquescens et vapores violaceos expellens se decomponens.

In vitro denigrato **caute** servetur.

Plumbum tannicum pultiforme.

R. **Corticis Quercus concisi** . *partes octo.* 8
Coque cum **Aquae communis** . . *sufficiente quantitate*
per dimidiam horam ad colaturam . *partium quadraginta.* 40
Decocto filtrato inter agitationem admisce
Liquoris Plumbi subacetici *circiter partes quatuor,* 4
donec praecipitatum nascatur. Hoc ope filtri separatum, ponderis circiter partium duodecim, humidum adhuc sub forma linimenti spissioris in ollam immitte et admisce
Spiritus . . . . *partem unam.* . . . 1
Nonnisi ad dispensationem paretur.

Pulpa Tamarindorum cruda.

Tamarindus indica *L.*

Legumina Tamarindi orientalis, exocarpio crustaceo remoto, contusa pulpam praebent carnosam, tenacem, e

fusco nigram, loculamentis chartaceis fasciculisque vasorum et seminibus badiis, duris intermixtam; odoris vinosi, saporis grate acidi, subadstringentis. Rejiciantur placentae lentiformes, durae, circiter sesqui decimetrum latae, nigrae Tamarindi Aegyptiacae vel eaedem cum aqua, acido tartarico saepe intermixto, emollitae ad massam mollem, nigram, peracidam, saepe mucidam, nec non pulpa mollis, e flavo fusca, saepissime jam fermentans Tamarindi occidentalis. Cum aqua emollita ferrum politum illi per aliquod tempus introductum inquinationem cupri non indicet.

Arbor Indiae orientalis et Aegypti in terris tropicis saepe culta.

Pulpa Tamarindorum depurata.

Pulpam Tamarindorum crudam addita aequali parte **Aquae communis fervidae** sepone saepius agitando, donec aequabiliter emollita sit.

Tum per cribrum setaceum spathula lignea trajice et pulpam obtentam in vasis porcellanicis evaporatione in balneo vaporis ad extracti spissioris densitatem redige.

Deinde pulpae adhuc calentis	*partibus senis* . . .	6
admisce **Sacchari pulverati** . . .	*partem unam.* . . .	1

Sit e nigro fusca, saporis acidi grati. Loco sicco et frigido servetur. Cave ne cupro inquinata sit, ferrea lamina polita dignoscendo.

Pulvis aërophorus.

R.	**Natri bicarbonici**	*partes decem,* . .	10
	Acidi tartarici	*partes novem,* . .	9
	Sacchari	*partes undeviginti.*	19

Seorsim in pulverem subtilissimum redacta et bene exsiccata misceantur.

In vitris bene clausis servetur, aut ex tempore paretur. Sit siccissimus, in aqua solutus fortiter effervescens.

Pulvis aërophorus anglicus.

R. **Natri bicarbonici pulverati** *grammata duo.*
Detur in charta caerulea.
R. **Acidi tartarici pulverati** *gramma unum et dimidium.*
Detur in charta alba.

Pulvis aërophorus laxans.

R. **Tartari natronati pulverati** *partes septem et dimidiam,* $7^1/_2$
Natri bicarbonici pulverati *partes duas et dimidiam.* $2^1/_2$
Misceantur.
Simul seorsim dispensentur
Acidi tartarici pulverati . . . . . *partes duae.* . 2

Nota. Si dosis requiritur, pars una efficiat gramma unum.

Pulvis aromaticus.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae pulverati** *partes quinque,* 5
Cardamomi minoris pulverati . . . *partes tres,* . . 3
Rhizomatis Zingiberis pulverati . . *partes duas.* . 2
Misce exacte.

Pulvis Glycyrrhizae compositus.

R. **Foliorum Sennae,** 2
Radicis Glycyrrhizae, singulorum pulveratorum *partes duas,* 2

Fructuum Foeniculi pulveratorum, ... 1
Sulphuris depurati, singulorum . . *partem unam,* 1
Sacchari pulverati . . . . *partes sex.* . 6
Misceantur.

Pulvis gummosus.

R. **Gummi Arabici pulverati** . . . . *partes tres,* . 3
Radicis Glycyrrhizae pulveratae . . *partes duas,* . 2
Sacchari pulverati . . . . *partem unam.* 1
Misceantur.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

R. **Opii,** 1
Radicis Ipecacuanhae, singulorum pulveratorum
partem unam, 1
Sacchari Lactis pulverati . . . . *partes octo.* . 8
Misceantur exacte. In vase bene clauso **caute** servetur.
Partes decem continent Opii partem unam.

Pulvis Magnesiae cum Rheo.

R. **Magnesiae carbonicae** . . . *partes sexaginta,* . 60
Sacchari pulverati . . . . . *partes quadraginta,* 40
Radicis Rhei pulveratae . . *partes quindecim,* . 15
Olei Foeniculi . . . . . . *partem unam.* . . 1
Misceantur exactissime. In vase bene clauso servetur.

Pumex.

Frusta irregularia, albida aut grisea, nitentia, spongiosa, porosa aut fibrosa, scabra, in aqua et acidis non solubilia; in regionibus vulcaneis obvia.

Radix Alkannae.

Alkanna tinctoria *Tausch.*

Radix subcylindrica, subsimplex, multiceps, ad sesqui centrimetra crassa; cortice molli, levi, facile lamellatim secedente, coloris ex atro purpurei, salivam colore rubro, spiritum, olea pinguia et partim aetherea, cerata, nec aquam colore purpureo tingente; ligno duro, albido, saepe radiatim lacero. Praeferenda merx cortice solo constans, rejicienda cortice destituta.

Herba rediviva in Europa australi-orientali et in Oriente indigena, unde radix advehitur.

Radix Althaeae.

De planta materna vide: Folia Althaeae.

Radices longae, crassitudine digitali, cortice exteriore deglupto albae; libro crassiusculo, valde fibroso et flexili; ligno carnoso, in sicco fragili, farinoso; saporis subdulcis, valde mucilaginosi. Radix plantae spontaneae vel cultae primo vere vel autumno fodiatur, rejectis rhizomate partibusque lignosis et cariosis et cortice exteriore cito siccetur.

Radix Angelicae.

Archangelica officinalis *Hoffmann.*

Radices longae, quatuor vel sex millimetra crassae, molles, sulcatae, e caudice crassiusculo, ad octo centimetra longo, subspongioso, sursum tenuiter denseque annulato oriundae; cortice crassiusculo, extus e griseo fusco, intus albo, receptaculis balsamiferis numerosis, quam foramina vasorum multo amplioribus, flavis, nitidis repleto; ligno radiato, subflavo. Manducata radix os urit, saporis

subdulcis, demum amari, odoris gravis. Rejiciatur insectis corrosa, ne substituatur radix Angelicae silvestris *L.* multo minor, tenuior, receptaculis balsamiferis paucioribus, multo minoribus ornata.

Colligatur radix herbae biennis cultae vel spontaneae vere anno aetatis secundo, bene siccata in vasis clausis servetur.

Radix Arnicae.

De planta materna vide: Flores Arnicae.

Rhizoma horizontale vel obliquum, diversae longitudinis, ad tria millimetra crassum, flexuosum, praemorsum, obsolete annulatum, asperum, durum, extus fuscum, radicatum; cortice crassiusculo, intus albo, circa lignum subcitrinum, radiatum annulo ductuum balsamiferorum ornato; medulla ampla, albida; radices subsecundae, longiusculae, ad millimetrum crassae, durae, fragiles, extus fuscae, intus albidae, cortice ductibus balsamiferis praedito; manducata os urit raditque, saporis subamari, odoris proprii, gravis. Confundatur radix autumno vel vere collecta nec cum radicibus Achyrophori maculati, Hieraciorum, Betonicae, Fragariae, ductibus balsamiferis destitutis, nec illis Virgaureae et Eupatorii rhizomate crassiore praeditis.

Radix Artemisiae.

Artemisia vulgaris *L.*

Radices longiusculae, ad duo millimetra crassae, flexuosae, subramosae, sulcatae, extus pallide fuscae, intus albae, undique e rhizomate verticali cylindrico, lignoso, ad duo et dimidium centimetra usque crasso oriundae, segmento transverso circa lignum centrale annulo interrupto ductuum balsamiferorum, e fusco rubrorum ornatae.

Colligendae radices herbae redivivae in tota fere Europa frequentis vere vel autumno, non lavandae, a rhizomate et partibus putridis purgandae, celeriter siccandae et in vasis bene clausis nec ultra annum servandae. In parando pulvere radicis recens siccatae lignum centrale remaneat et rejiciatur; pulvis autem in vitris clausis est servandus.

Radix Bardanae.

Lappa officinalis *Allione* **et Lappa minor** *DC.* **et Lappa tomentosa** *Lamarck.*

Radix subsimplex, longa, digiti circiter crassitie, extus rugosa, e cinereo fusca, intus pallide subfusca; cortice crassiusculo, intus saepe cavis minutis, quasi albo-tomentosis minute lacunoso; ligno radiato; medulla tenui, lacerata, nivea; masticata radix est mucilaginea, saporis subdulcis, demum subamari, odoris debilis. Colligatur radix autumno primo vel vere secundo aetatis anno et loco sicco servetur; plerumque per longitudinem dissecta prostat.

Herbae biennes, per totam fere Europam crescentes.

Radix Belladonnae.

De planta materna vide: Folia Belladonnae.

Radix ramosa, longa, ad quatuor centimetra crassa, ramis longis, simplicibus instructa, recens carnosa, sicca farinosa, extus per longitudinem striata et rugosa, e subluteo cinerea, intus albida, fasciculis ligni ambitu annulatim approximatis, intus sparsis, subflavis, porosis ornata, fracta pulverem excitans. Colligenda autumno vel vere e planta spontanea non nimis vetula, non deglubenda, saepe

per longitudinem dissecta prostat. Radix lignosa, tenax, nigrescens, mucida, insectis corrosa omnino est rejicienda.

Caute nec ultra annum serva.

Radix Bryoniae.

Bryonia alba *L.* **et dioica** *Jacquin.*

Segmenta transversa suborbicularia, pallide e subfusco alba, dura, fragilia, superficie elevatis radiis stratisque circularibus verrucosis approximatis; saporis amari.

Radix herbarum redivivarum ambarum in Europa indigenarum autumno colligitur.

Radix Carlinae.

Carlina acaulis *L.*

Radix longa, ad duo et dimidium centimetra crassa, subsimplex, saepe multiceps, extus fusca, longitudinaliter rugosa, saepissime per longitudinem ad centrum usque fissa et expansa; ligno nudato, reticulato-undulato, intus pallidiore; cortice subtenui lignoque carnoso radiatis, ductus resiniferos ex fusco rubros continentibus. Manducata radix os urit, saporis amari, odoris fragrantis ingrati.

Colligitur radix herbae redivivae montanae autumno.

Radix Caryophyllatae.

Geum urbanum *L.*

Rhizoma verticale vel subverticale, saepe abbreviatum, praemorsum, sursum crassius, ad duodecim millimetra crassum, durum, asperum, atrofuscum, caulibus residuis divaricatis comatum, per longitudinem squamis ex fusco atris, radicibus circum oriundis, caulibus residuis raris

ornatum; cortice tenui, intus ex fusco rubro; ligno albido; medulla ampla, obscure lilacina; radices longiusculae, ad semimillimetrum crassae, durae, subfuscae; odoris debilis, caryophyllacei, saporis subamari, adstringentis.

Colligenda radix herbae redivivae indigenae primo vere, siccata vasis clausis servanda; ne confundatur cum radice fere inodora Gei rivalis *L.*, rhizomate tenuiore, longiore, molliore, saepissime horizontali, medulla subfusca praedito, extus squamis ex fusco rubris obtecto.

Radix Colombo.

Cocculus palmatus *DC.* **Iateorrhiza palmata** *Miers.*

Segmenta transversa suborbicularia, tria vel quatuor centimetra lata, quatuor ad duodecim millimetra crassa, extus rugosa, e griseo fusca, intus farinosa, coloris e subviridi vel e subfusco flavi, utrinque intra marginem latum, elevatum, concava vel circa centrum iterum elata; marginem convexum circulus obscurus, striis numerosis radiatis decussatus dimidiat; e disco concavo emergunt fasciculi ligni sparsi. Radix valde mucilaginosa saporis est peramari, jodo addito colorem caeruleum induit.

Radix herbae redivivae ad littora Africae orientalis intertropicae crescentis per Indiam orientalem ad nos adfertur.

Radix Dauci.

Daucus Carota *L.*

Radix recens carnosa notissima.

Colligenda radix herbae biennis frequentissime cultae autumno primi anni.

Radix Gentianae.

Gentiana lutea *L.*

Radix praelonga, duo et dimidium centimetra crassa et ultra, breviter multiceps, paullum ramosa, in mercatura plerumque longitudinaliter secta occurrens, per longitudinem sulcata, superne annulis approximatis transversim rugosa, extrorsum subflava vel e subrufo fusca, introrsum ex rufo vel ex aurantiaco subfusca, exsiccata fragilis, saepe spongioso-porosa, fractura aspera; cortice tenui, per annulum saturatius tinctum a ligno crasso, carnoso separato; saporis peramari, faucibus diu adhaerentis. Radices crassitudine digitalis, strictiores, extrorsum magis e cinereo fuscae, ceterum simillimae nonnullarum aliarum Gentianae specierum rejiciendae non sunt; sed cave, ne rhizomata Veratri immixta sint.

Verno tempore radix herbae redivivae in pratis alpinis et subalpinis Europae mediae et australis indigenae colligitur.

Radix Glycyrrhizae echinatae.

Glycyrrhiza echinata *L.*

Radix longa, ad quatuor centimetra crassa, cortice exteriore deglupto, plerumque et a cormo magno liberata, coloris flavi; libro subtenui, ligno crasso, levi, radiatim fisso, fractura valde fibrosa; saporis perdulcis.

Advehitur ex Russia meridionali.

Radix Glycyrrhizae glabrae.

Glycyrrhiza glabra *L.*

Radix longissima, subsimplex, ad duo centimetra crassa, ponderosa, extus e subfusco cinerea, per longitu-

dinem rugosa, intus obscure flava; cortice crassiusculo, interiore ut lignum durum, grosse et rigide fibrosum, transversim dissectum densum radiis medullaribus linearibus radiato. Manducata fauces paullum radit, saporis dulcis.

Crescit herba rediviva spontanea in Europa meridionali et hinc inde colitur.

In parando pulvere ne haec, sed radix Glycyrrhizae echinatae adhibeatur.

Radix Helenii.

Inula Helenium *L.*

Occurrunt in mercatura segmenta longitudinalia ad quatuor centimetra lata radicis primariae una cum ramis cylindricis, tenuioribus, decorticatis, interdum longitudinaliter fissis, coloris subflavi aut e subfusco albidi; saporis amari, odoris peculiaris. Radix sicca dura, fragilis, humescens tenax, intus receptaculis oleiferis numerosis, nitentibus, parvis est instructa; corticem crassiusculum circulus obscurior separat a ligno carnoso, quod fasciculos vasorum angustos, citrinos radiosque medullares latos continet; medulla radicis primariae sat ampla, ramorum deest.

Colligenda herbae redivivae in Germania indigenae aut spontaneae aut cultae radix vere vel autumno.

Radix Hellebori viridis.

Helleborus viridis *L.*

Rhizoma radicosum, sursum ramosum; ramis adscendentibus, subteretibus, annulatis, ad quatuor centimetra longis, ad quatuor millimetra crassis, in segmento transverso cortice medullaque crassiusculis instructis et fasciculis ligni latis, introrsum truncatis, remotiusculis, ad annu-

lum interruptum dispositis; radicibus densis, ad decimetrum longis, sesqui millimetra crassis, fragilibus, ut ipsum rhizoma extrorsum e fusco atris, introrsum plerumque sordide albis.

Ne confundatur cum radicibus Hellebori nigri *L.*, Adonidis vernalis *L.*, Actaeae spicatae *L.*, adhaereant folia pedata, herbacea, argute inaequaliterque serrata, quae autem ante dispensationem sunt removenda. Praeterea discernuntur radix Hellebori nigri: rhizomatis ramis in segmento transverso fasciculis ligni angustis, cuneatis praeditis nec non radicibus pedalibus, ad tria millimetra crassis; obscure fuscis; radix Adonidis: rhizomate subsimplici, fere conico, densissime circum radicato; radix Actaeae: rhizomate squarroso-ramoso, radicibus tenacibus, longis.

Colligenda radix primo vere antequam herba rediviva in montosis Europae mediae et australis spontanea florescit vel autumno.

Radix Ipecacuanhae.

Cephaëlis Ipecacuanha *Willdenow.*

Radix flexuosa, duo ad quatuor millimetra crassa, in utramque partem attenuata, annulis densis, incompletis, torosis verrucosa; cortice crasso, corneo, extrorsum obscurius vel pallidius fusco, introrsum subfusco, non radiato, facile a ligno tenui, albido separando.

Caute servetur.

Adfertur radix e Brasilia.

In parando pulvere lignum, quod circiter quartam ponderis partem efficit, remaneat atque rejiciatur.

Radix Levistici.

Levisticum officinale *Koch.*

Radix longiuscula, ad semidecimetrum crassa, mollis, paullum tantum ramosa, extus transversim rugosa, longitudinaliter sulcata, coloris e subflavo fusci; intus pallide subflavi; cortice crassiusculo, lacunoso, ductibus balsamifluis aurantiacis, sparsis, subconcentrice ordinatis ornato; ligno denso, molli; odoris peculiaris, saporis ingrati, subdulcis, os urentis.

In mercatura radix herbae redivivae frequenter cultae plerumque longitudinaliter secta reperitur.

Radix Ononidis.

Ononis spinosa *L.*

Radix praelonga, digitum fere crassa, in longitudinem profunde sulcata, multiceps, capitibus profunde saepe sejunctis, tenax flexibilisque; cortice tenuissimo, extrorsum obscure fusco; ligno albido, fibroso, transverse dissecto duro, excentrico et manifeste quidem, sed inaequaliter et flabelli instar radiato; saporis paullum e subdulci subamari, manducata urens.

Colligenda radix herbae redivivae indigenae vere vel autumno; in mercatura plerumque longitudinaliter fissa occurrit.

Radix Pimpinellae.

Pimpinella Saxifraga *L.* **et Pimpinella magna** *L.*

Radix longiuscula, saepe multiceps, calami scriptorii usque digiti minoris crassitie, plerumque simplex et recta, longitudinaliter sulcata, verrucosa, sursum transversim

rugosa, coloris ex fusco subflavi; cortice crasso, intus aut niveo, sed radiis angustis, flavescentibus, ductus resiniferos parvos, ex fusco rubros continentibus aut subflavo, radiis subfuscis, circa lignum citrinum, radiatum ad annulum fuscum confluentibus persecto. Manducata radix urens, saporis dulcis, odoris hircini.

Primo vere vel sero autumno radix herbarum ambarum redivivarum indigenarum est colligenda.

Radix Pimpinellae Saxifragae, varietatis nigrae extus nigra aut ex fusco atra, cortice intus e cinereo vel e subcaeruleo radiato etiam adhiberi potest. Cave ne confundas cum radice Peucedani Oreoselini *Moenchii*, cujus lignum ex annulo interrupto ligni partium iterum ex fasciculis vasorum pluribus, cuneatis radiatim dispositarum constat, nec cum radice Heraclei Sphondylii *L.* pallidiore, magis spongiosa lacunosaque et ductibus resiniferis multo rarioribus ornata, saepissime e capitibus radicalibus (rhizomatibus) validis, ramosis, asperis, radicatis constante.

Radix Pyrethri.

Anacyclus officinarum *Hayne.*

Radix simplex, longa, ad quatuor millimetra crassa, extrorsum e cinereo fusca, in longitudinem rugosa, intus pallidior, facile fragilis; cortice crassiusculo, orbe ductuum balsamiferorum praedito; ligno radiato. Manducata radix os urit et salivam copiosiorem movet. Herba annua in Germania colitur.

Radix ante dispensationem a foliis cauleque residuis, plerumque adhaerentibus, est liberanda. Rejiciatur radix Pyrethri Italici, digiti crassitie, saepissime vetula, insectis corrosa.

Radix Ratanhae.

Krameria triandra *Ruiz et Pavon.*

Radix lignosa, trunco crassiore, sursum multicipite, inferne ramoso, ramis longis, ad sesqui centimetrum crassis, cylindricis, divaricatis aut rami soli a trunco abscissi; cortice tenui, fractura subfibrosa, coloris cinnamomei; saporis perausteri, subamari, sexies minimum tenuiore quam lignum paullo pallidius, subinsipidum, subtilissime radiatum et porosum.

Adhibeatur modo radix ex Peruvia advecta integra, nec partim decorticata, rejiciatur etiam radix et Granatensis et Texensis et Brasiliensis, utraque cortice crassiore instructa.

Radix Rhei.

Rhei species ignotae Sinenses.

Radicis segmenta multiformia, dura, omnino deglupta, saepe foramine instructa, fractura aspera, extrorsum lutea, plerumque pulvere conspersa, introrsum radiis alternatim rubris et albis, sed multifariam contortis et intricatis variegata. Radix manducata inter dentes stridet, salivam colore flavo tingit; saporis et odoris peculiaris; rejicienda magis fusca, spongiosa, cariosa, mucida.

Ex imperio Sinensi aut itinere terrestri per Mosquam, Rheum Russicum seu Moscoviticum, aut itinere maritimo per urbem Canton, Rheum Sinense vel Indicum, ad nos adfertur. Merx Russica prius permagni, hodie autem minoris aestimata colore saturatiore, pondere leviore et in segmento transverso figuris numerosissimis, albo- et rubro-radiatis a Sinensi est diversa. Radicem Rhei in Europa

cultam, in segmento transverso aut plane ad centrum radiis rectis, alternatim rubris et albis instructam, sic dictam Austriacam, aut modo in ambitu sed manifeste radiatam, centrum versus albo- et rubro-punctatam, absque figuris radiatis, sic dictam Anglicam, adhibere non licet.

Pulvis Rhei in vasis bene clausis servetur.

Radix Saponariae.

Saponaria officinalis *L.*

Radix teres, sensim attenuata, longiuscula, pennae anserinae et ultra crassitie, longitudinaliter rugosa, caule residuo nodis protuberantibus ornato instructa; cortex extus ex fusco ruber, intus albus, circulo obscuriore ligno non radiato, subcitrino, centro albido et medulloso est separatus. Manducata radix fauces radit, spumas agit in ore et saporis est subdulcis, dein amaricantis.

Colligenda vere vel autumno radix herbae redivivae in tota fere Europa indigenae.

Radix Sarsaparillae.

Smilacis species diversae Americae centralis et australis.

Radices longissimae, ad sex millimetra crassae, striatae, extrorsum e griseo fuscae vel ex fusco rubrae; mesophloeo solido, crassiusculo aut farinoso et albo aut corneo et subfusco; annulo ligni clauso, radiis medullaribus completis non instructo; medulla alba, farinosa. Cormus, cui radices secundariae adnatae sunt, in mercatura saepe proveniens, ante dispensationem est abscindendus. Merx ex America centrali et regionibus borealibus ejusdem terrae australis ad nos advehitur.

Radix ex Mexico advecta, profunde sulcata, mesophloeo labente, tenui et ligno crassiusculo praedita, nec minus quaecunque lacera, macilenta aut stramento non dissimilis rejicienda.

Radix Scammoniae.

Convolvulus Scammonia *L.*

Radix saepe multiceps, cylindrica, praelonga, ad duo centimetra usque crassa, per longitudinem costata, extrorsum fusca, introrsum pallidior, resinose punctata; cortice tenui; ligno transverse dissecto e partibus ligni sparsis, densis, seorsum radiatis, porosis, contextu celluloso separatis composito.

Ne confundatur cum radice Turpethi, quae transverse dissecta circum lignum centrale radiatum, porosum cylindros ligni crassiores vel tenuiores intra corticem crassum dispositos praebet.

Herba rediviva in Oriente spontanea, unde merx advehitur.

Radix Senegae.

Polygala Senega *L.*

Radix subcylindrica, basi tuberculosa, ad sex millimetra crassa, apicem versus sensim attenuata, paullum ramosa, subvoluta, in interiore curvaturae latere carina corticali arguta notata, in altero latere torosa, coloris e subflavo vel e cinereo fusci; cortice crassiusculo, intus subflavo; ligno pallide flavo, in latere carinae opposito vel plano vel exciso. Radix debili odore, manducata fauces radit.

Ex Provinciis Americae borealis Unitis ad nos adfertur.

Radix Serpentariae.

Aristolochia Serpentaria *L.*

Rhizoma duo ad tria millimetra crassum, circiter duo et dimidium centimetra longum, horizontale, flexuosum, subdepressum, superne in longitudinem caulium residuis tenuibus, brevibus, inferne radicibus numerosis, ad octo centimetra longis, tenuissimis, fragilibus, pallide fuscis obsitum. Lignum rhizomatis in latere inferiore est crassius quam in superiore et inaequaliter radiatum; lignum radicis quadrangulare vel quinquangulare. Radix saporis est amari, trita odoris camphorati, in vasis bene clausis servetur.

Ex Provinciis Americae borealis Unitis australibus advehitur.

Radix Taraxaci.

Taraxacum officinale *Weber.*

Radix siccata, tridecimetralis, basi ad duo et dimidium centimetra crassa, cylindrica, apicem versus sensim attenuata, plerumque multiceps, paullum ramosa, longitudinaliter sulcata, extus paene ex atro fusca; cortice crasso, intus albo, fungoso, segmento transverso circulis numerosis concentricis instructo; ligno citrino poroso; sapore amaro.

Colligenda radix herbae redivivae per totam fere Europam frequentis autumno.

Radix Taraxaci cum herba.

Planta recens vere colligenda, vulnerata lactescens, radice subcarnosa, extrorsum pallidius vel obscurius fusca;

foliis rosulatis, runcinatis, denticulatis, glabriusculis; sapore ex dulci subamaro.

Ad extractum parandum adhibeatur.

Radix Valerianae.

Valeriana officinalis *L.*

Radices e cormo ad quatuor centimetra longo, duo et dimidium centimetra crasso, interdum stolonifero undique oriundae, copiosissimae, longae, ad duo millimetra crassae, teretes, recentes albae, siccatae e cinereo fuscae, striatae, cortice intus subfusco lignoque tenui pallidiore instructae; manducata radix urens, saporis amari, odoris gravis. Colligenda radix autumno et siccata in vasis clausis servanda.

Herba rediviva fere totam Europam habitans.

Resina Draconis.

Daemonorops Draco *Blume.*

Resina ex fusco rubra, opaca, fragilis, odoris et saporis expers, trita pulverem cinnabarinum praebens, in spiritu perfecte, in aethere, in oleis pinguibus et aethereis plus minusve solubilis. Occurrit in bacillis vix digitum crassis, palmae pinna obvolutis aut in placentis.

Resina exsudata inter squamas fructuum palmae scandentis in Moluccis indigenae.

Resina Guajaci.

De planta materna vide: Lignum Guajaci.

Frusta globosa, magnitudine Avellanae ad Juglandis aut massae deformes, extus subviridi pulvere conspersae,

friabiles, fractura ex flavo viridi aut subbadio, vitreo splendore nitenti; odore debili, peculiari. Substantiis oxydantibus viridescunt aut caerulescunt. In spiritu et liquore kali caustici solubiles. Solutiones spirituosae aqua turbatae liquore kali caustici solvantur et continuata additione ne turbentur.

E truncis arboris eliquatione et coctione cum aqua obtinetur.

Resina Jalapae.

R. **Tuberum Jalapae grosse pulveratorum** *partem unam,* 1
cui infunde **Spiritus** . . . . *partes duas* 2
et digere per horas viginti quatuor. Post refrigerationem exprime, residuo *eandem* **Spiritus** *quantitatem* infunde et fac ut antea. E tincturis commixtis et filtratis spiritus in balneo vaporis destillando separetur. Resina **Aqua communi fervida** eluatur, donec aqua coloris fere expers defluat, tum resina in balneo vaporis calefiat, donec portiuncula exemta refrigerando fragilis et facile friabilis fiat, deinde in bacillos formetur.

Sit fractura splendens, ex flavo fusca et friabilis, in spiritu plane, in aethere exigua ex parte solubilis.

Caute servetur.

Resina Scammonii.

Paretur e **Radice Scammonii** uti **Resina Jalapae.**

Sit e viridi fusca, fractura splendens, in spiritu perfecte solubilis.

Caute servetur.

Rhizoma Asari.

Asarum Europaeum *L.*

Rhizoma obtuse quadrangulum, elongatum, ad duo millimetra crassum, remote articulatum, subdichotome ramosum, ramis uniarticulatis, coloris e griseo fusci; corticem crassiusculum circulus obscurior a ligno separat radiato, angusto, subfusco, medullam amplam, farinosam cingente. Manducatum os urit, saporis piperacei, odoris camphoracei.

Ante dispensationem foliis residuis binis, petiolatis, renatis, merci plerumque adhaerentibus est liberandum.

Crescit herba rediviva in umbrosis fere totius Europae.

Rhizoma Calami.

Acorus Calamus *L.*

Rhizoma subcylindricum, compressum, ad duo et dimidium centimetra latum, extus virens, rubens vel subfuscum, approximate annulatum et inferne radicibus abscissis cicatricatum, intus albidum, canalibus aëriferis numerosissimis spongiosum, circulo obscuriore ornatum; saporis amari, odoris gravis, peculiaris. Ad usum medicum rhizoma nonnisi decorticatum adhibeatur.

Rhizoma herbae redivivae orientalis, in Germaniae paludibus per diu quasi indigenae sero autumno est colligendum.

Rhizoma Caricis.

Carex arenaria *L.*

Rhizoma longissimum, ad tria millimetra crassum, subcylindricum, paullum compressum, ramosum, coloris pallide

e griseo fusci, remote nodosum, ad nodos tantum vaginis laceris radicibusque ornatum, intus medulla alba farctum; corticem lacunis amplis, annulatim dispositis interceptum circulus obscurior a ligno separat ex fasciculis ligni inter parenchyma album, parcum sparsis, densis constante; manducatum fauces paullum radit, saporis subdulcis, dein subamari.

Herbae redivivae arenam mobilem Germaniae, praesertim borealis habitantis rhizoma verno tempore est colligendum. Ne confundatur rhizomate Caricis hirtae *L.* extus ex fusco rubro, in internodiis etiam radicato; cortice solido, albo praedito.

Rhizoma Chinae.

Smilax China *L.*

Rhizoma tuberosum, diversae magnitudinis et formae, saepissime oblongum et curvatum, ad duo decimetra longum, ad quinque centimetra crassum, ponderosum, compactum, extus radicibus partimque cortice exteriore purgatum, ex rubro fuscum, intus e subrubro albidum; obscurius punctatum, amylo uberrimum; manducatum mucilaginosum, subausterum, saporis subdulcis. Ex India orientali evehitur. Rejiciantur rhizomata levia, spongiosa, etiam pallidiora. Cave, ne sit lithargyro inquinatum, quod ad explenda foramina rhizomatis ab insectis corrosi applicatur.

Rhizoma Curcumae.

Curcuma longa *L.* **et Curcuma viridiflora** *Roxburgh.*

Rhizoma aut ovale, magnitudine Juglandis (Curcuma rotunda), aut cylindricum, ad quatuordecim millimetra

crassum (Curcuma longa), compactum, ponderosum, subcorneum, extus e flavo fuscum, plus minus annulatum, in fractura transversa planiusculum, aurantiacum, circulo obscuriore ornatum; odoris debilis, zingiberacei, manducatum os urens, salivam colore flavo tingens, saporis subamari. Pigmenti solutio laete flava ab alkaliis et acido boracico fuscatur.

Merx ex India orientali et China evehitur.

Rhizoma Filicis.

Polystichum Filix mas *Roth.*

Rhizoma variae longitudinis, ad duo et dimidium centimetra crassum, recens carnosum, exsiccatum spongiosum, leve, intus coloris viridis, paullatim cinnamomei, instructum fasciculis vasorum majusculis, ad annulum interruptum dispositis et obtectum superficie tota dense petiolorum residuis secundis, adscendentibus, angulatis, carnosis, extus ex atro fuscis, intus viridibus squamisque paleaceis fuscis, quibus signis a similibus rhizomatibus differt; sapore e dulci subamaro, odore peculiari, subnauseoso.

Colligatur rhizoma ex herba rediviva in tota fere Europa indigena autumno, neve ultra annum servetur.

Ad pulverem parandum rhizoma a petiolorum residuis squamisque et radicibus liberatum una cum reliquiis petiolorum degluptis caute siccetur et pulvis viridis in vasis bene obturatis servetur; pulvis cinnamomei coloris rejiciatur.

Rhizoma Galangae.

Scitaminearum adhuc ignota species Chinensis.

Rhizoma digiti crassitie, ad quinque centimetra longum, cylindricum, breviter et subramosum, saepe geniculatim,

in longitudinem striatum, extus e rufo fuscum, albide annulatum, intus cinnamomei coloris, circulo fusco notatum, valde fibrosum; manducatum urens, saporis subamari, odoris peculiaris.

Advehitur e China.

Rhizoma Graminis.

Agropyrum repens *Beauvois.*

Rhizoma longissimum, ad duo millimetra crassum, ramosum, teres, remote nodosum, ad nodos tantum radicibus obsitum et vaginatum, fistulosum, coloris pallide straminei, saporis dulcis. Rhizoma plerumque concisum in mercatura proveniens adhibere licet.

Colligendum est rhizoma herbae redivivae frequentissimae verno tempore.

Rhizoma Imperatoriae.

Imperatoria Ostruthium *L.*

Rhizoma elongatum, teretiusculum, sursum saepe ramosum, dilatatum, complanatum, ad duo centimetra latum, e griseo fuscum, annulatum, verrucosum, intus carnosum, pallide citrinum; ligno angusto; cortice medullaque ampla receptaculis balsamiferis magnis instructis; odoris gravis, saporis subamari, urentis.

Colligendum rhizoma herbae redivivae subalpinae Europaeae vere vel autumno.

Rhizoma Iridis.

Iris florentina *L.* **et Iris pallida** *Lamarck.*

Rhizoma decorticatum, depressum, solidum, durum, variae longitudinis, ad quatuor centimetra fere latum, arti-

culatum, latere inferiore radicibus resectis cicatrisatum, coloris albidi, saepe ramis clavatis mixtum; odorem violarum praebens.

Herba rediviva colitur in Italia superiore, unde rhizoma ad nos adfertur.

Rhizoma Tormentillae.

Potentilla Tormentilla *Sibthorp.*

Rhizoma tuberosum, multiforme, multiceps, rectum vel curvatum, ad duo et dimidium centimetra crassum, ad octo centimetra longum, solidum, durum, extus obscure e rubro fuscum, gibbosum, radicibus filiformibus resectis cicatrisatum, intus e fusco rubrum; cortice tenui; annulo fasciculorum ligni albidorum; medulla ampla; sapore valde adstringente.

Verno tempore rhizoma herbae redivivae in Germania vulgaris est colligendum.

Rhizoma Veratri.

Veratrum album *L.*

Rhizoma conicum, ad octo centimetra longum, superne duo ad quinque centimetra latum, saepe multiceps, foliis desectis breviter comatum, extus e subnigro vel e subfusco cinereum, obsolete annulatum, radicibus frequentibus resectis albide cicatricatum, intus sordide album, annulo fusco subcorticali ornatum, durum; manducatum valde urens, contritum sternutamentum vehementissimum movens. Rhizoma **caute** servetur.

Crescit herba rediviva in alpinis et subalpinis Europae mediae.

Rhizoma Zedoariae.

Curcuma Zedoaria *Roscoe.*

Cormus ovalis, annulatus, ad duo et dimidium centimetra crassus, radicibus corticeque exteriore resectis, per transversum, interdum per longitudinem sectus, compactus, tenax, coloris pallide e griseo subfusci, glandulis parvis resiniferis instructus; manducatus os urens, saporis amaricantis, odoris gravis, camphoracei. Merx levis, insectis corrosa est rejicienda.

Herba rediviva Indiae orientalis, unde merx advehitur.

Rhizoma Zingiberis.

Zingiber officinale *Roscoe.*

Rhizoma distiche breviterque ramosum, depressum, compactum, ponderosum ad duo centimetra latum, aut undique aut in faciebus modo decorticatum, intus pallide subflavum aut albidum, circulo obscuriore subcorticali receptaculisque resiniferis parvis, creberrimis ornatum, fractura paullum fibrosum; manducatum urens, odoris peculiaris, aromatici.

Rhizoma Zingiberis albissimum calcaria pallens, interdum in mercatura occurrens, adhibere non licet.

Herba rediviva Indiae orientalis, inter tropicos frequenter culta, unde rhizoma ad nos advehitur.

Rotulae Menthae piperitae.

R. **Sacchari** . . . . *partes centum et decem,* **110**
Aquae Menthae piperitae . *partes duodeviginti,* . . **18**

mixta in sartagine cuprea rostro instructa in forma gutturnii coquantur per momentum, ita ut massa lentius fluat, tunc adde aequaliter interendo pulverem e

Sacchari	*partibus quadraginta,* .	40
Olei Menthae piperitae . .	*parte una,*	1

formentur inde lege artis rotulae.

Sint albae, subdiaphanae, oleum menthae piperitae valde redolentes.

Saccharum.

Saccharum officinarum *L.* **Beta vulgaris** *L.*

Sit albissimum, odoris plane expers et siccum.

Saccharum Lactis.

Crystalli albidae, diaphanae, prismaticae, in cylindros vel crustas coalitae, odoris expertes, saporis subdulcis, inter dentes stridentes, in aquae frigidae partibus sex lente solubiles, in spiritu insolubiles, e solutione bulliente alkalina cupri tartarici oxydati cuprum oxydulatum praecipitantes.

Saccharum Lactis coloris nimis flavi et odoris rancidi rejiciatur.

In Helvetia praecipue lactis vaccini, butyro caseoque quam maxime separatis, ad syrupi consistentiam evaporatione et crystallisatione paratur.

Salicinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris et odoris expertes, subtiles, prismaticae, nitentes, sapore peramaro, in aquae frigidae partibus quatuordecim, fervidae partibus duabus, in spiritus frigidi partibus triginta, fervidi partibus tribus solubiles, in aethere et chloroformio non solubiles. Acido sulphu-

rico concentrato affuso colorem coccineum induant. Calefactae liquescant, et sine residuo deflagrent.

Sandaraca seu Resina Sandaraca.

Callitris quadrivalvis *Vent.* **Thuja articulata** *Desf.*

Grana elongata, subcitrina, extus pulvere albido conspersa, fractura vitri instar splendentia, pellucida, manducata non mollescentia, saporis amaricantis. Calefacta odorem gratum spargunt, liquescunt et deflagrant. In spiritu frigido partim, in spiritu coquendo et in oleo terebinthinae plane solubiles.

Resina e trunco effluens arboris in Africa boreali-occidentali indigenae.

Santoninum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli parvae, nitentes, coloris expertes, planae, in luce flavescentes, in aqua frigida vix solubiles, in aquae fervidae partibus ducentis quinquaginta, in spiritus frigidi partibus quadraginta quatuor, fervidi partibus tribus, in aetheris frigidi partibus septuaginta quinque, fervidi quadraginta duabus, chloroformii partibus tribus solubiles, etiam in alkaliis et in calcaria aqua extincta facile solubiles. Nec acido sulphurico concentrato nec nitrico tingantur. Solutionis spirituosae kali caustico addito mixtura colorem coccineum induat. Caute calefactae liquescant, et refrigeratae in massam crystallinam concrescant, calore aucto subliment, magis etiam aucto sine residuo deflagrent.

A luce remotum servetur.

Sapo domesticus.

Sit quam maxime albus et durus, in partibus octo spiritus fervidi solubilis, post refrigerationem massam subdiaphanam, gelatinosam praebens.

Coquendo sebum cum liquore natri aut kali caustici et additione natrii chlorati paratur.

Sapo jalapinus.

R. **Resinae Jalapae,** 2
Saponis medicati, singulorum . *partes duas,* . . 2
solve leni calore
Spiritus . . . . *partibus quatuor,* 4
tum mixta in balneo vaporis sub continua agitatione ad massae pilularis densitatem evaporent, ut totum pondus sit *partium quatuor et dimidiae.*

Sit coloris e fusco grisei, in spiritu solubilis.

Sapo medicatus.

R. **Liquoris Natri caustici** *partes sexaginta,* 60
calefac in balneo vaporis in patina porcellanica, tum sub perpetua agitatione sensim adde
Olei Olivarum Provincialis *partes centum* 100
et digere saepius agitando donec sapo durus ortus est. Hunc solve in
Aquae destillatae . . *partibus trecentis* 300
et adde solutionem ex
Natrii chlorati . . . *partibus viginti quinque* . 25
in **Aquae destillatae** . . . *partibus septuaginta quinque,* 75
coque sub agitatione usque ad separationem perfectam saponis et post refrigerationem lue cum **Aqua destillata** et solve denuo in
Aquae destillatae . . *partibus sexaginta.* . . . 60

Massa aequaliter liquata effundatur in cistulam linteo madefacto supposito et refrigerata in frustula scindatur, quae loco tepido siccentur et tunc pulverentur.

Pulvis albus, odore non rancido, in aqua et spiritu perfecte solubilis. Solutio aquosa aqua hydrosulphurata ne mutetur.

Sapo oleaceus.

Sit albus, durus, aëre non humescens aut lentescens, odoris non rancidi, in spiritu et aqua perfecte solubilis.

Coquendo ex oleo olivarum cum liquore natri caustici in Europa australi et apud nos paratur.

Sapo terebinthinatus.

R.	**Saponis oleacei pulverati,**		6
	Olei Terebinthinae, singulorum . .	*partes sex,* .	6
	Kali carbonici depurati	*partem unam.*	1

Misce exacte, ut fiat massa densitatis unguenti.

Sit album, demum flavescens.

Sapo viridis.

Massa lubrica, mollis, ad colorem e viridi flavum versans, odoris nauseosi.

Coquendo ex adipe piscium aut oleo vili cum liquore kali caustici paratur.

Saturationes.

Si **Saturatio** praescribitur sine designatione accurata, item si **Potio Riveri**, aut **Saturatio Kali carbonici** praescripta est, ita parentur, ut ad *grammata triginta* satura-

tionis *gramma unum* **Kali carbonici puri** sumatur, quod **Acido citrico** saturetur.

Sebum.

Ovis Aries *L.* **Bos Taurus** *L.*

Pingue solidum, album, odoris proprii, calore 47° liquescens.

Sebum rancidum rejiciatur.

E contextu celluloso imprimis omenti et renum bisulcorum eliquatione obtinetur.

Secale cornutum.

Claviceps purpurea *Tulasne.*

Stromata sterilia obtuse trigona, plerumque curvata, utrinque vel modo sursum attenuata, trisulca, ex violaceo nigricantia, saepe pruinosa, intus pallidiora, apice non raro appendice, calyptra, sordide alba, molli instructa, circiter duo et dimidium centimetra longa, ad tria millimetra lata; saporis nauseosi. Secale cornutum solum e spicis Secalis cerealis *L.* desumatur, siccatum in vasis bene clausis, nec ultra annum, si fieri potest, servetur. Corrosum, mucidum, rancidum, odorem ammoniacalem spargens rejiciatur.

Fungus annuus vel biennis, in floribus gramineis, praesertim Secalis ceralis *L.*, germine abortiente, crescens.

Semen Amygdali amarae seu Amygdalae amarae.

Amygdalus communis *L. α.* **amara** *DC.*

Semina ovate oblonga, subcompressa; testa membranacea, e fusco flavescente, pulverulenta, embryone albo,

oleoso-carnoso, in cotylas duas secedente; saporis amari, odoris fere nullius, sed cum aqua trita odorem spargunt proprium. Rejiciantur vetusta, rancida, insectis corrosa.

Arbor in regione mediterranea indigena, frequentur culta.

Semen Amygdali dulcis seu Amygdalae dulces.

Amygdalus communis *L. β.* **dulcis** *DC.*

Semina amaris similia, plerumque his majora et planiora; saporis oleosi, subdulcis, cum aqua trita inodora.

Rejiciantur vetula, rancida, insectis corrosa.

Semen Cacao.

Theobroma Cacao *L.* **et nonnullae affines species.**

Semina ooideo-oblonga, subcompressa, ad duo et dimidium centimetra longa, testa fragili, rubra vel e griseo fusca; cotylis plano-convexis, brunneis, intus irregulariter plicatis, facile in fragmenta minora, angulata dilabentibus; odoris aromatici, saporis oleosi, subamari et paullum acerbi. Majora, pinguiora et fermentatione mitigata, sic dicta Caracensia, Guatimalensia, Mexicana caet., reliquis e Brasilia et India occidentali advectis praeferuntur.

Arbor Americae tropicae, ibidem et in Asia tropica culta, unde semina advehuntur.

Semen Colchici.

Colchicum autumnale *L.*

Semina plane matura, subglobosa, ad duo millimetra crassa, cornea, extus obscure fusca, scrobiculata nisi

vetusta subviscida, intus pallide grisea; saporis nauseoso-peramari.

Colligendum semen prima aestate, nec ultra annum et **caute** servandum.

Semen Cydoniae.

Cydonia vulgaris *Persoon.*

Semina cuneata, angulata vel compressa, ad sex millimetra longa, badia, membranula mucilaginea, albida, opaca obtecta, plerumque per plura conglutinata, in aqua turgescentia et mucilagine emollita lubrica. Ne sint seminibus notissimis Piri, Mali, Vitis adulterata.

Arbuscula orientalis frequenter culta.

Semen Feni Graeci.

Trigonella Fenum Graecum *L.*

Semina durissima, subrhomboideo-tetragona, utrinque oblique truncata, e luteo fusca, ad tria millimetra longa; embryone uncinato-curvato; radicula sub testa valde elevata; odoris ingrati et graviter melilotini, manducata mucilaginosa, saporis amari.

Herba annua, in terris mari mediterraneo finitimis spontanea, nobis culta.

Semen Hyoscyami.

De planta materna vide: Folia Hyoscyami.

Semina minima, compressa, subreniformia, scrobiculata, coloris e cinereo subfusci, intus albida; saporis oleosi, amari.

Sint plane matura, nec ultra annum et **caute** servanda.

Semen Lini.

Linum usitatissimum *L.*

Semina ovata, compressa, quatuor millimetra circiter longa, badia, nitida, in aqua emollita lubrica; saporis mucilaginei, oleosi. Non ultra annum servanda. Cave ne fructus Lolii arvensis *Schraderi* immixti sint.

Ad parandam Farinam Lini semina herbae nobis cultae in pulverem subtilem redigantur; nec placentas e residuis seminum Lini expressione olei acceptas adhibere licet.

Semen Myristicae.

De planta materna vide: Macis.

Nuclei ovales, ad duo et dimidium centimetra longi, extus reticulati, saepe pulvere albo adspersi, intus pallide subfusci, integumenti interioris processibus obscure aurantiacis ruminati; saporis et odoris aromatici. Nuclei mucidi vel ab insectis corrosi, nec non oblongi et longiores Myristicae fatuae *Houtt.* saporis et odoris debilioris rejiciantur.

Semen Papaveris.

Papaver somniferum *L.*

Semina parva, reniformia, reticulato-scrobiculata, albida; saporis subdulcis, oleosi. Vetusta, rancida sunt rejicienda.

Herba annua, nobis frequentissime culta, ex Oriente advecta.

Semen Piperis seu Piper album.

De planta materna vide: Fructus Piperis.

Semina globosa, albida, ad quatuor millimetra crassa, intus solida vel centro paullum excavata; odoris proprii, manducata os acriter urentia.

Semen Psyllii.

Plantago Psyllium *L.*

Semina oblonga, duo millimetra longa, concavo-convexa, laevia, nitida, obscure ex rubro fusca, in aqua turgescentia et lubrica.

Herba annua regiones maris mediterranei steriles habitans.

Semen Quercus.

De planta materna vide: Cortex Quercus.

Semina plane matura, pericarpio deliberata, e cotylis binis oblongis, subplano-convexis, facile separabilibus, duris, extus reticulatis, fuscis, intus albidis vel ochroleucis constantia; saporis ingrate amari, adstringentis. Immatura, nec non insectis corrosa et mucida rejiciantur.

Semen Quercus tostum.

Semina Quercus in cylindro cavo ferreo clauso super ignem circumagendo torreantur, donec fuscum induerint colorem. Refrigerata in pulverem crassum redige.

Sit pulvis subfuscus, odoris subempyreumatici, coffeae tostae propinqui, vix styptici.

Semen Sinapis.

Brassica nigra *Koch.*

Semina subglobosa, millimetrum crassa, scrobiculata, extus ex fusco ferruginea, intus flava, pulverem praebentia e subflavo virentem, qui cum aqua humectatus auram explicat volatilem, acerrimam, manducatus saporis primum subamari, oleosi, tum os acerrime urit. Ne adulteratum sit semen cum eo Brassicae Rapae *L.* sesquimajore, laeviore, obscurius fusco, minus acriore, nec semine majore, laevi varietatis melanospermae Sinapis albae *L.* Pulvis semper recens paratus habeatur.

Herba annua, per totam fere Europam crescens, frequenter culta.

Semen Stramonii.

De planta materna vide: Folia Stramonii.

Semina reniformia, compressa, leviter scrobiculata, extus nigra, opaca, intus alba, ad duo millimetra longa et paullo latiora; saporis ingrati, subamari. Sint plane matura; **caute** servanda.

Semen Strychni.

Strychnos Nux vomica *L.*

Semina discoidea, orbicularia, circiter duo et dimidium centimetra lata, centro umbilicata, densissime indumento sericeo e subflavo griseo, adpresso vestita, cornea, intus fissa, albida; saporis peramari. Pulvis venalis non adhibendus est. **Caute** serva.

Arbor Indiae orientalis, unde semen evehitur.

Serum Lactis.

R. **Lactis vaccini recentis** . . . . *partes trecentas,* **300**
ad 35—40° calefactis adde
Liquoris seripari . . . . *partem unam,* . **1**
quae exactissime commixta sepone. Coagulatione peracta colando serum lactis a caseo separa.

Sit e flavo album, saporis non acidi.

Serum Lactis aluminatum.

R. **Lactis vaccini recentis** . . . . *partes trecentas,* **300**
Aluminis . . . *partem unam ad sesqui partes,* **1—1$^1/_2$**
calefactis sub initio bulliti et coagulatione peracta liquorem refrigeratum filtra.

Sit paullum opalescens, sapore subdulci austero.

Serum Lactis tamarindinatum.

Paretur e **Lacte vaccino** uti **Serum Lactis aluminatum**, nisi loco Aluminis
Pulpae Tamarindorum depuratae . . *partes decem* **10**
sumantur.

Sit limpidum, ex rubro subflavum, saporis acidi.

Sinapismus.

R. **Seminis Sinapis pulverati**
misce cum **Aquae communis** *quantitate aequali aut quantum satis,*
ut fiat cataplasma mollioris densitatis.

Nonnisi ad dispensationem paretur.

Species aromaticae.

R. **Foliorum Menthae piperitae,** 2
Foliorum Rosmarini, ... 2
Herbae Serpylli, ... 2
Herbae Majoranae, ... 2
Florum Lavandulae, singulorum . *partes duas,* . 2
Caryophyllorum, ... 1
Cubebarum, singulorum . . . . *partem unam.* 1

Singula minutim concisa, contusa et a pulvere subtili liberata, misceantur.

In vase clauso serva.

Species emollientes.

R. **Foliorum Althaeae,** 1
Foliorum Malvae, ... 1
Herbae Meliloti, ... 1
Florum Chamomillae, ... 1
Seminis Lini, singulorum . . . . . *partem unam.* 1

Contundantur et misceantur, ut fiat pulvis grossus.

Species laxantes.

R. **Foliorum Sennae Spiritu extractorum** *partes sedecim,* 16
Florum Sambuci . . . . *partes decem,* . 10
Fructuum Foeniculi, ... 5
Fructuum Anisi vulgaris, singulorum *partes quinque.* 5

Concisa, contusa misceantur, et in dispensatione addantur
Tartari depurati . . . . *partes tres.* . 3

Species Lignorum.

R. **Ligni Guajaci raspati** . . . . . *partes quatuor,* 4
Radicis Bardanae, ... 2
Radicis Ononidis, singularum concisarum *partes duas,* 2

Radicis Glycyrrhizae, ... 1
Ligni Sassafras, singulorum concisorum *partem unam.* 1
Misceantur.

Species pectorales.

R. **Radicis Althaeae concisae** . . . . *partes octo,* . 8
Radicis Glycyrrhizae concisae . . *partes tres,* . 3
Rhizomatis Iridis Florentinae concisi *partem unam,* . 1
Foliorum Farfarae concisorum . . *partes quatuor,* 4
Florum Rhoeados concisorum, ... 2
Florum Verbasci concisorum, ... 2
Fructuum Anisi stellati contusorum, singulorum
partes duas. . 2
Misceantur.

Species resolventes.

R. **Foliorum Melissae,** 2
Foliorum Menthae piperitae, ... 2
Herbae Majoranae, ... 2
Herbae Origani, singulorum . . . *partes duas,* 2
Florum Chamomillae vulgaris, ... 1
Florum Lavandulae, ... 1
Florum Sambuci, singulorum . . . *partem unam.* 1
Minutim concisa misceantur.

Spiritus.

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilis, odoris proprii, ad chartam exploratoriam indifferens, ponderis specifici = 0,830 usque ad 0,834, quod respondet alcoholis partibus pensis 86 vel 85, mensura dimensis 91 ad 90 in 100 partibus.

Si in vase porcellanico aqua mixtus et in balneo vaporis evaporavit remanens liquidum cuticulam olei nul-

lam praebeat; ab oleo graveolente, Fuselöl dicto, omnino liber sit, aqua hydrosulphurata sine turbatione misceatur.

Spiritus aethereus.

R. **Aetheris** . . . . *partem unam,* . 1
Spiritus . . . . *partes tres.* . . 3
Misceantur.

Sit limpidus, coloris expers, valde inflammabilis, ad chartam exploratoriam indifferens, aqua, sed nonnisi e parte liquore kali acetici miscendus, ponderis specifici = 0,808 usque ad 0,812. 0,813. ved 17,2 °C

In vase bene clauso servetur.

Spiritus Aetheris chlorati.

Mangani hyperoxydati in frustula magnitudine nucis Avellanae diffracti *quantum sufficit.*

Imple in cucurbitam, partium centum viginti aquae capacem usque ad collum, tum infunde
Acidi hydrochlorati crudi . *partes sex,* 6
Spiritus . . . . *partes viginti quatuor,* 24
antea mixtas, sed vide, ut manganum hyperoxydatum e liquore emineat. Cucurbita cum apparatu refrigeratorio juncta fiat destillatio, donec *partes viginti quinque* destillaverint. Destillatum calcaria aqua exstincta ab acido liberatum leni calore rectificetur, donec *partes viginti et unam* acceperis.

Sit liquor limpidus, coloris et acidi expers, ponderis specifici = 0,838 usque ad 0,842.

Spiritus Aetheris nitrosi.

R. **Acidi nitrici crudi,** 40
Spiritus, ... 40

Aquae destillatae, singulorum *partes quadraginta,* 40
Cupri in laminis . . . . . *partes quinque.* . . 5
Fiat destillatio e cucurbita in balneo arenae collocata et cum apparatu refrigeratorio juncta, donec transierint partes quadraginta. Liquori destillato inter agitationem adde tantum calcariae in aqua exstinctae, quantum ad acidi saturationem sufficiat. Liquor post diem defusus e balneo aquae destillet, donec *partes viginti* transierint, quibus addantur
Spiritus . . . . *partes viginti.* . 20
Sit limpidus, fere coloris et quantum fieri potest, acidi expers, ponderis specifici = 0,836 usque ad 0,840.

Spiritus Angelicae compositus.

R. **Radicis Angelicae** . . . . . . *partes sedecim,* 16
Radicis Valerianae, ... 4
Fructuum Juniperi, singulorum . *partes quatuor.* 4
Concisis, contusis affunde
Spiritus diluti 100
Aquae communis, singulorum . . *partes centum.* 100
Destillando eliciantur . . . . *partes centum,* 100
in quibus solve
Camphorae . . . . *partes duas* . 2
et filtra.

Sit limpidus, coloris expers, et addita aqua valde turbetur.

Spiritus aromaticus.

R. **Rhizomatis Zingiberis,** 4
Rhizomatis Zedoariae, ... 4
Rhizomatis Calami, singulorum *partes quatuor,* . . 4

Seminis Myristicae, ... 2
Fructuum Anisi stellati, singulorum *partes duas,* . 2
Florum Chamomillae Romanae, ... 6
Foliorum Menthae piperitae, singulorum *partes sex,* 6
Corticis Fructus Aurantii . . *partes quatuor.* . . 4
Concisis, contusis affunde
Spiritus diluti, ... 50
Aquae communis, singulorum *partes quinquaginta.* 50
Destillando eliciantur . . . . . . *partes quinquaginta.* 50
Sit limpidus, addita aqua turbetur.

Spiritus camphoratus.

R. **Camphorae** . . . . *partem unam,* . 1
solve in **Spiritus** . . . . *partibus septem,* 7
adde **Aquae destillatae** . . . . *partes duas.* . 2
Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Cochleariae.

R. **Herbae Cochleariae recentis** . . . *partes decem.* . 10
Concisis et probe contusis affunde
Spiritus diluti . . . . *partes quinque,* 5
Aquae communis . . . . *partes duas.* . 2
Destillando eliciantur . . . . *partes quinque.* 5
Sit limpidus.

Spiritus dilutus.

R. **Spiritus** . . . . *partes septem,* 7
Aquae destillatae . . . . *partes tres.* . 3
Misce. Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici = 0,892.

Spiritus Formicarum.

R. **Formicarum recens collectarum et a quisquiliis mundatarum** . . . . *partes decem,* 10
Spiritus diluti . . . . *partes viginti,* 20
Aquae communis . . . . *partes decem.* 10
Macera per biduum, tum destillando eliciantur *partes viginti.* 20

Sit limpidus, ab olei guttulis liber, chartam exploratoriam caeruleum rubefaciat, partes viginti cum liquoris plumbi subacetici parte una mixtae mixturam fere plane crystallis plumosis repletam praebeant. Cum aqua destillata mixtus paullulum lactescat.

Spiritus Juniperi.

R. **Fructuum Juniperi contusorum** . *partes quinque,* 5
Spiritus diluti . . . . *partes viginti,* 20
Aquae communis . . . . *partes decem.* . 10
Post macerationem per viginti quatuor horas destillando eliciantur . . . . *partes viginti.* 20

Sit limpidus, pars una cum aquae partibus duabus mixta lactescat.

Spiritus Lavandulae.

Paretur e **Floribus Lavandulae** uti **Spiritus Juniperi.**
Sit limpidus, cum aqua mixtus lactescat.

Spiritus Melissae compositus.

R. **Foliorum Melissae recentium** *partes viginti quatuor,* 24
aut si desint,
Foliorum Melissae siccatorum *partes septem,* . . . 7
Corticis Fructus Citri . . *partes sex,* 6

Fructuum Coriandri, ... 3
Seminis Myristicae, singulorum *partes tres,* . . . 3
Corticis Cinnamomi Cassiae, ... $1^1/_2$
Caryophyllorum, singulorum . *sesqui partes.* . . $1^1/_2$
Concisis, contusis affunde
Spiritus diluti, ... 100
Aquae communis, singulorum *partes centum.* . . 100
Destillando eliciantur . . . . *partes centum.* . . 100

Sit limpidus, cum aqua mixtus valde lactescat.

Spiritus Rosmarini.

Paretur e **Foliis Rosmarini** uti **Spiritus Juniperi.**

Sit limpidus, cum aqua mixtus lactescat.

Spiritus saponatus.

R. **Saponis oleacei rasi** . . . . *partem unam,* . 1
solve digerendo leni calore in
Spiritus diluti . . . . *partibus tribus,* 3
Aquae Rosae . . . . *parte una* . . 1
et filtra.

Sit limpidus, coloris subflavi. Loco non nimis frigido servetur.

Spiritus Serpylli.

Paretur ex **Herba Serpylli** uti **Spiritus Juniperi.**

Sit limpidus, cum aqua mixtus lactescat.

Spiritus Sinapis.

R. **Olei Sinapis** . . . . . *partem unam,* 1
Spiritus . . . . *partes quadraginta novem.* 49
Misce.

In vasis bene obturatis **caute** servetur.

Spongiae ceratae.

Spongiae marinae siccatae in frusta dissecentur, **Cerae flavae** liquefactae probe immergentur, prelo calefacto fortiter exprimantur et quum refrixerint, a cera superflua liberentur.

Spongiae compressae.

Spongias marinas electas in frusta oblonga discinde, aqua communi fervida humectata et funiculis dense et fortiter ita constringe, ut e singulis frustis cylindri formentur ad digitum fere longi, qui constricti serventur.

Spongiae marinae.

Spongia officinalis *L.*

Teneriores, subflavae, foraminibus minoribus praeditae, a lapillis et conchulis, quae insunt, purgatae sunt adhibendae.

In submarinis maris mediterranei et rubri accretae.

Spongiae tostae.

Fragmenta Spongiae marinae minutim concisa sartagini ferreae, congruente operculo obtegendae, immitte; saepius agitando leni igni expone, adustionem spongiae evitando, donec portiunculae exemtae pulverari possint. Tum in pulverem trita in vitro obturato serva.

Sit pulvis e fusco niger, odoris empyreumatici, saporis salsi.

Stibium oxydatum.

R. **Liquoris Stibii chlorati** . . . . *partes quinque,* **5**
sub perpetua agitatione in
Aquae communis . . . . *partes centum* **100**
infundantur. Praecipitatum inde ortum in manicam linteam immittatur et **Aqua destillata** bene eluatur. Massae cum **Aqua destillata** in vase porcellanico in pultem tenuem redactae inter agitationem et digestionem adde liquoris filtrati e **Natro carbonico puro** et **Aquae destillatae** triplo parati tantum, ut reactionem alkalinam prodat, neve acidum carbonicum amplius extricetur. Tunc filtretur, stibium oxydatum bene eluatur et siccetur.

Sit pulvis albus seu albidus, interdum crystallinus, facile liquescens et in vaporibus avolans; solutio in liquore kali caustici diluto argento nitrico colore nigro praecipitetur, praecipitatum in ammonio caustico non solubile.

Caute servetur.

Stibium sulphuratum aurantiacum.

R. **Natri carbonici crudi** . . . *partes centum,* . . **100**
in **Aquae communis** . . . . . *partibus quadringentis* **400**
in lebete ferreo solvantur, soluto fervido inter perpetuam agitationem adde
Calcariae . . . . *partes triginta,* . . **30**
cum Aquae communis quadruplo in massam pultiformem redactas. Mixta coque per horam dimidiam uti in liquore natri caustici diximus. Tum addantur
Sulphuris sublimati . . . . . *partes quindecim* . . **15**
et dum solutae sunt, adjice
Stibii sulphurati nigri laevigati *partes viginti.* . . **20**

Inter perpetuam agitationem et aquam evaporatione diminutam semper restituendo coque, donec color griseus omnino disparuerit, tum filtra. Residuum cum

Aquae communis . . . . . *partibus ducentis* . 200

denuo ebulliat, filtretur et aqua fervida bene eluatur. Liquores obtenti in crystallos redigantur, quae **Liquore Natri caustici** valde diluto abluantur.

Harum crystallorum . . . *partes quinquaginta* 50

solve in **Aquae destillatae** . . . *partibus ducentis,* . 200

soluta, si opus fuerit, filtra, cum

Aquae destillatae . . . . . *partibus sexcentis* . 600

dilue et inter agitationem infunde in mixturam refrigeratam ex

Acidi sulphurici puri . . . *partibus sedecim* . . 16

et **Aquae destillatae** . . . . . *partibus trecentis* . . 300

paratam. Praecipitatum aqua eluatur, donec aqua defluens nullam reactionem acidam praebeat, tunc adde liquorem filtratum e

Natri bicarbonici . . . . *partibus quatuor* . . 4

et **Aquae destillatae** . . . . . *partibus octoginta* . 80

paratum et digere saepius agitando per biduum. Praecipitatum injice in filtrum, in quo **Aqua destillata** omnino eluatur. Postremo exprime et loco obscuro, tepido sicca.

Sit pulvis subtilissimus, coloris aurantiaci, odoris expers, in aqua et spiritu non solubilis. Pulveris cum sextuplo aquae conquassati filtratum ad chartam exploratoriam indifferens sit, nec baryo chlorato, nec argento nitrico turbetur; cum solutione natri bicarbonici conquassati filtratum acido hydrochlorato excedente ne turbetur; in liquore kali caustici sine residuo solubilis; acido tartarico digesto filtratum aqua hydrosulphurata quam minimum turbetur.

A luce arceatur et in vasis bene clausis servetur.

Stibium sulphuratum nigrum.

Frusta ponderosa, e nigro grisea, nitentia, inquinantia, fractura radiatim crystallina; acido hydrochlorato gase hydrosulphurato copiose extricato decomponantur.

Continet portiuncula ferri, plumbi et cupri, sed ab arsenico omnino liberum sit.

Stibium sulphuratum rubeum.

R. **Stibii sulphurati laevigati** *partes quinque,* 5
Liquoris Kali caustici *partes sedecim,* 16
Aquae destillatae . . *partes sexaginta,* 60

in lebete ferreo inter perpetuam agitationem coque per semihoram; tunc adde

Aquae destillatae fervidae *partes ducentas quadraginta,* 240

filtra et residuum aqua destillata fervida bene elue. Liquorem obtentum infunde inter agitationem in mixturam paratam ex

Acidi sulphurici diluti *partibus quindecim* . . . 15
et **Aquae destillatae** . . . *partibus sexaginta.* . . . 60

Praecipitatum inde ortum in manicam linteam immitte et aqua destillata edulcora. Massae cum aqua destillata in vase porcellanico in pultem tenuem redactae adde

Acidi sulphurici diluti *partes decem,* 10
Aquae destillatae . . *partes quindecim* 15

et sub perpetua agitatione coque per horae quadrantem, praecipitatum aqua destillata omnino elue, et postremo cum solutione e

Natri bicarbonici . . *partibus duabus* 2
et **Aquae destillatae frigidae** *partibus triginta sex* . . . 36

parata per biduum saepius agitando digere. Praecipitatum injice in linteum, in quo aqua destillata omnino eluatur. Postremo exprime et loco tepido, obscuro sicca.

Sit pulvis subtilissimus, e rubro fuscus, in acido hydrochlorato et in liquore natri caustici plane solubilis, pulveris acido tartarico digesti filtratum aqua hydrosulphurata quam minimum turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Si **Stibium sulphuratum rubeum cum Oxydo** postulatur misce

Stibii sulphurati rubei . . . . . *partes quatuor,* 4
Stibii oxydati . . . . *partem unam.* 1

Stipites Dulcamarae.

Solanum Dulcamara *L.*

Caules ramive flexuosi, saepe torti, quatuor ad octo millimetra crassi, obsolete pentagoni, foliorum cicatricibus sparsis notati, plus minus verrucosi, longitudinaliter striati vel sulcati, saepissime fistulosi; peridermate e subviridi vel e subfusco flavo, a cortice tenui, primum viridi, tandem albido facile separabili; ligno primum viridi, tandem subluteo, valde poroso, saepe annulis concentricis praedito. Sapor corticis amarus, ligni dulcis est.

Colligendi stipites fruticis per totam fere Europam indigeni, scandentis biennes vel triennes autumno post foliorum lapsum, nec confundendi cum stipitibus Lonicerae Periclymeni *L.* cylindricis, cicatricibus foliorum oppositis ornatis.

Strychninum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli parvae, coloris expertes, prismaticae, sapore peramaro, in aqua frigida difficillime, in aqua fervida

paullo facilius solubiles. In spiritu ponderis specifici 0,889 facile, in spiritu absoluto et aethere non solubiles. In aqua acidulata facilius solubiles; haec solutio kali caustico addito praecipitatum album praebeat, quod nec in kali abundante nec in aethere solvatur. Acido nitrico puro coloris expertes, acido nitrico concentrato colore pallide viridescente solvantur. Acido sulphurico concentrato addito ne tingantur, sed cum kali chromico colorem significantem e caeruleo violaceum et rubrum induant, qui denique in flavum et viridem transeat.

Cautissime servetur.

Strychninum nitricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli coloris expertes, subtiles, flexiles, prismaticae, sericeo-nitentes, sapore peramaro, in aquae frigidae partibus sexaginta, fervidae partibus tribus solubiles, in spiritu absoluto difficile, in spiritu diluto facilius solubiles.

Solutio aquosa ad chartam exploratoriam indifferens sit, cum natro caustico, hoc abundante, praecipitatum insolubile praebens. Cum acido sulphurico concentrato et kali chromico uti strychninum se gerant.

Cautissime servetur.

Styrax liquidus.

Liquidambar orientale *Mill.*

Massa consistentiae spissioris terebinthinae, opaca, coloris plus minusve grisei, interdum cum aliquanto aquae mixta, odoris peculiaris, grati, in spiritu fere solubilis.

Balsamum coquendo et expressione corticis arboris in Asia minori indigenae.

Succinum.

Frusta flava aut ex flavo fusca, pellucida aut opaca, fragilia, fractura conchata, nitentia. In spiritu, aethere, oleis pinguibus et aethereis vix paullo solubilia.

Resina fossilis, quae in littoribus maris Baltici effoditur, aut fluctuatione maris ad littora agitur.

Succus Dauci inspissatus.

Radici Dauci recenti mundatae et concisae affunde dimidiam **Aquae communis fervidae**, ut mollescat. Tum exprime succum, qui semel ebulliendo et colando clarificatus leni calore ad extracti tenuioris densitatem evaporet.

Sit fuscus, in fila ductus diaphanus, odoris proprii aciduli, saporis dulcis, ab empyreumate et cupro liber.

Succus Ebuli inspissatus.

Fructus Ebuli maturi recentes continuo agitando calefiant, donec dirumpantur, tum exprimantur. Succus expressus subsidat, deinde colatus ad extracti spissioris densitatem evaporet. Quo facto succi inspissati adhuc calentis . . . . *partibus duodecim* **12**
admisce **Sacchari pulverati** . . . . *partem unam.* . **1**

Cave, ne cupro inquinatus sit, ferrea lamina polita dignoscendo.

Sit coloris e rubro fusci, saporis dulce-aciduli, in aqua paullum modo turbide solvatur.

Succus Glycyrrhizae crudus.

De planta materna vide: Radix Glycyrrhizae *L.*

Baculi subcylindrici, ad centimetra quindecim usque longi, ad centimetra duo et dimidium crassi, e fusco nigri,

nitentes, frigore fragiles, fractura nigri, nitentes, saporis dulcis, fauces vix radentes, in aqua ad maximam partem solubiles.

Extractum coquendo et evaporatione radicum recentium obtentum.

E Calabria advectum plerumque prostat.

Succus Glycyrrhizae depuratus.

Succus Glycyrrhizae crudus stratis altero alteri impositis, stramine interjecto maceretur per horas viginti quatuor cum **Aquae communis frigidae** ea quantitate, ut obtegatur. Deinde liquore emisso maceratio eodem modo, quoties opus erit, cum nova quantitate aquae reiteretur.

Hi liquores perfecte limpidi evaporent in balneo vaporis ad consistentiam extracti spissioris.

Sit saporis dulcissimi, demum fauces radens, ab empyreumate et cupro liber, in aqua sine sedimento solubilis.

Succus Juniperi inspissatus.

Fructibus Juniperi recentibus contusis affunde **Aquae communis** *quadruplum* et post refrigerationem modice exprime. Liquor subsidat, coletur et ad extracti tenuioris consistentiam evaporet. Hujus adhuc calentis *partibus duodecim* 12
admisce **Sacchari pulverati** . . . . *partem unam*. . . 1

Cuprum uti in succo Ebuli inspissato exploretur.

Sit fuscus, in aqua turbide solubilis.

Succus Sambuci inspissatus.

Paretur e **Fructibus Sambuci recentibus** uti **Succus Ebuli inspissatus**, et eodem modo cuprum exploretur.

Sit coloris e violaceo fusci, saporis dulce-aciduli, in aqua paullum modo turbide solvatur.

Sulphur depuratum.

R. **Sulphuris sublimati** per cribrum trajecti

partes duodecim, 12

cum **Aquae destillatae** . . . . *partibus octo* . 8

et **Liquoris Ammonii caustici** . . . *parte una* . . 1

in massam pultiformam redige et agitatione repetita digere per triduum, tum in manicam linteam immitte, aqua destillata iterum iterumque ablue, sicca et per cribrum trajice.

Sit pulvis siccus, citrinus, subtilis, inodorus et insipidus; ignitus residuo valde exiguo excepto volatilis; aqua humectata chartam exploratoriam caeruleam non rubefaciens, in liquore kali caustici plane solubilis; pulveris ammonio caustico digesti filtratum nec acido hydrochlorato nec aqua hydrosulphurata turbetur.

In vase bene clauso servetur.

Sulphur jodatum.

R. **Sulphuris depurati** . . . . *partem unam,* 1

Jodi . . . . *partes quatuor.* 4

Terendo mixta in cucurbitam ingere, quam leni igni expone, donec massa prorsus liquefacta sit. Refrigeratum contere.

Sit e nigro cinereum, metallici splendoris, in igne avolans.

In vitro bene clauso **caute** servetur.

Sulphur praecipitatum.

R. **Calcariae** . . . . . *partes decem,* 10
cum **Aquae communis** . . *partibus sexaginta* 60
in lebete ferreo in pultem redactis admisce

Sulphuris sublimati . *partes viginti quatuor,* . . . 24
Aquae communis . . *partes ducentas quadraginta.* . 240

Mixta sub continua agitatione et aquam evaporatione diminutam semper restituendo per horam coque, tum per manicam linteam filtra. Residuum cum

Aquae communis . . *partibus centum quinquaginta* 150

per horam dimidiam iterum coque; filtra et quod remansit, aqua fervida ablue. Liquores obtentos in lagenis bene obturatis per aliquot dies sepone, tum filtra et liquorem tanta aquae destillatae copia dilue, ut sit ponderis partium quingentarum. Tum liquorem huncce in vas idoneum infunde et inter agitationem sensim

Acidi hydrochlorati puri *partes triginta,* 30
antea cum **Aquae destillatae** *partibus sexaginta* . . . 60

mixtas aut tantum hujus mixturae affunde, ut liquor reactionem alkalinam modo debilem prodat. Sedimento demisso liquorem supernatantem illico defunde, praecipitatum cum **Aqua destillata** misce et liquorem post aliquod tempus iterum defunde.

Sulphuri praecipitato, si ferrum continet,
Acidi hydrochlorati puri *partes tres,* 3
cum **Aquae destillatae** . . *partibus duodecim* 12

dilutas adde et bene agita. Tum mixturam in manicam injice, sulphur aqua destillata bene ablue, loco tepido (25 ad 30°) sicca et contere.

Si vero sulphur praecipitatum ferro non inquinatum est, statim in manicam injice et fac ut supra dictum est.

Sit pulvis subtilissimus, albidus seu pallide e flavo albus, odoris fere expers, inter digitos non stridens, ignitus residui pauxillum tantum relinquens, chartam exploratoriam caeruleam humefactam non rubefaciens, pulveris aqua, acido hydrochlorato aut ammonio caustico digesti filtratum nullo residuo relicto evaporet.

In vase bene clauso servetur.

Sulphur sublimatum.

Pulvis subtilis, citrinus, tactu laevis, stridens, inodorus et insipidus, non in aqua, in aethere et spiritu quam minimum, paullo magis in oleis pinguibus et aethereis, facile in carboneo sulphurato et chloroformio solubilis, in temperatura + 111^0 liquescens, paene sine residuo flamma caerulea deflagrans; in liquore kali caustici plane solubilis, plerumque chartam caeruleam exploratoriam rubefaciens.

Summitates Sabinae.

Sabina officinalis *Garcke.*

Ramuli coarctati; foliis brevissimis, rigidis, junioribus quadrifariam imbricatis, rhombeis, obtusiusculis, adultioribus remotiusculis, patulis, acutis, dorso glandula impressa instructis; odoris gravis, ingrati, diu haerentis, saporis nauseosi, resinosi, amari. Ne confundantur cum ramulis Sabinae Virginianae *Berg* magis patulis, odorem debiliorem spirantibus. **Caute**, nec ultra annum serventur.

Frutex Europae australis, nobis cultus, a quo Aprili, Majo summitates ramorum colligi licet.

Syrupi.

Syrupi, nisi qua alia ratio praescripta est, ita parentur, ut Saccharum in liquore solvatur, solutum semel ebulliat et coletur.

Vasis plane exsiccatis immittantur et bene obturatis loco frigido serventur.

Praeter syrupum Amygdalarum omnes syrupi sint limpidi.

Syrupus Althaeae.

R. **Radicis Althaeae concisae** . *partem unam,* . . . 1
Aquae communis frigidae . *partes viginti,* . . . 20
macera per horas duas, cola sine expressione et in colaturae
partibus sedecim . . 16
solve **Sacchari** . . . . *partes viginti quatuor.* 24

Sit coloris subflavi.

Syrupus Amygdalarum.

R. **Amygdalarum dulcium excorticatarum** *partes quatuor,* 4
Amygdalarum amararum excorticatarum *partem unam,* 1
contunde cum pauxillo **Aquae** ad pultem tenerrimam, sensim adde
Aquae communis . . . . *partes undecim,* 11
Aquae Florum Aurantii . . . . *partem unam.* . 1
Exprime fortiter, cola per pannum laneum et in colatura, cujus . . . . *partes undecim* 11
sint, solve in balneo vaporis lenissimo calore
Sacchari . . . . *partes viginti.* . 20

Sit turbidus, coloris albidi.

Syrupus Balsami Peruviani.

R. **Balsami Peruviani** . . . . . *partem unam,* . . 1
digere saepius agitando in vase clauso cum
Aquae communis . . . . . . *partibus duodecim* 12
per aliquot horas. In liquoris post refrigerationem decantati et filtrati . . . . *partibus undecim,* 11
solve **Sacchari** . . . . *partes viginti.* . . 20
Sit coloris subflavi.

Syrupus Cerasi.

R. **Fructuum Cerasi** *quantum placet.*

Cum nucleis contusa stent per biduum in loco tepido tum per viginti quatuor horas in usitata temperatura; exprime, succum expressum calefac usque ad 80—90° et sepone per dies duas usque ad quatuor, ut subsideat. In succi decantati et filtrati . . . *partibus undecim* 11
solve **Sacchari** . . . . *partes viginti.* 20
Sit coloris ex atro purpurei.

Syrupus Chamomillae.

R. **Florum Chamomillae vulgaris** . *partes tres,* . . 3
infunde **Aquae fervidae** . . . . . . *partibus sedecim,* 16
aut quantum satis, ut sint colaturae filtratae
partes undecim, 11
in quibus solve **Sacchari** . . . . . *partes viginti.* . 20
Sit coloris e fusco flavi.

Syrupus Cinnamomi.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae contusi** *partes duas,* . 2
Aquae Cinnamomi spirituosae . . *partes tredecim,* 13
Aquae Rosae . . . . *partes duas* . . 2

digerantur in vase clauso per biduum, filtrentur et in liquoris . . . . *partibus duodecim* **12**
solve **Sacchari** . . . . *partes undeviginti.* **19**

Sit coloris e rubro fusci.

Syrupus Citri.

R. **Fructuum Citri** *quantum placet.*
Exprime et in succi expressi, defaecati et filtrati *partibus undecim* **11**
solve **Sacchari** . . . . *partes viginti.* **20**

Sit coloris subflavi.

Syrupus communis.

Liquor consistentiae spissioris, obscure fuscus, subviridescens, odoris proprii non ingrati, saporis dulcis. In depuratione sacchari Indici obtinetur.

Syrupus Corticis Aurantii.

R. **Corticis Aurantii concisi** . . . *partes tres,* . . . **3**
Vini generosi albi . . . . . *partes quindecim,* **15**
macera in vase clauso per biduum, exprime, filtra et in liquoris . . . . *partibus duodecim* **12**
solve **Sacchari** . . . . *partes undeviginti.* **19**

Sit coloris e subflavo fusci.

Syrupus Croci.

R. **Croci** . . . . *partem dimidiam,* **½**
Vini generosi albi . . . . . . *partes tredecim,* . **13**
macera per horas viginti quatuor in vase clauso, cola, filtra et in liquoris . . . . . . *partibus duodecim* **12**
solve **Sacchari** . . . . *partes undeviginti.* **19**

Sit coloris subaurantiaci.

Syrupus Ferri jodati.

R. **Ferri pulverati** . . . . *partem unam et dimidiam,* $1^1/_2$
immitte in vitrum satis amplum, cui insint
Aquae destillatae . . . *partes triginta,* 30
tum sensim adde **Jodi** . . . *partes quatuor.* 4
Fiat solutio, vitrum paullum agitando et, si necesse est, leniter calefaciendo. Liquorem filtra in patinam porcellanicam
Sacchari pulverati . . *partes sexaginta* 60
continentem et ferrum non solutum **Aqua destillata** bene ablue. Lenissimo calore saccharum solvatur, tum liquor in balneo vaporis evaporet usque ad *partes centum.* **100**

Syrupus sit recens coloris fere expers, postremo subflavus et continet partes 5 ferri jodati in 100 partibus.

Serva in vitris parvis optime clausis.

Syrupus Florum Aurantii.

R. **Aquae Florum Aurantii** . . . . *partes undecim* **11**
et solve **Sacchari** . . . . *partes viginti.* . **20**

Sit coloris expers.

Syrupus Glycyrrhizae.

R. **Radicis Glycyrrhizae concisae** *partes quatuor,* . . 4
Aquae communis . . . . . . *partes duodeviginti.* 18
Macera per noctem. Liquor expressus et colatus semel ebulliat, tum in balneo vaporis evaporet, ita ut post refrigerationem et filtrationem supersint *partes septem,* . . 7
in quibus solvantur **Sacchari,** 12
Mellis depurati, singulorum . *partes duodecim.* . 12

Sit coloris ex flavo fusci.

Syrupus gummosus.

R. **Mucilaginis Gummi Arabici** . . . . *partem unam,* 1
Syrupi simplicis . . . . *partes tres.* . 3
Misce. Sit coloris fere plane expers.

Syrupus Ipecacuanhae.

R. **Radicis Ipecacuanhae contusae** *partem unam,* . . . 1
Spiritus . . . . *partes quinque,* . . . 5
Aquae communis . . . . *partes triginta sex,* . 36
digere in vase clauso per horas viginti quatuor, cola, filtra et in liquoris . . . . . *partibus quadraginta* 40
solve **Sacchari** . . . . *partes sexaginta sex.* 66

Syrupi partes 100 continent Radicis Ipecacuanhae partem unam.

Sit coloris subflavi.

Syrupus Mori.

Paretur e **Fructibus Mori** uti **Syrupus Cerasi.**

Sit coloris purpurei.

Syrupus Papaveris.

R. **Fructuum Papaveris immaturorum concisorum et a seminibus liberatorum** . . *partes tres,* . . . 3
Aquae communis . . . . . . *partes duodeviginti,* 18
Spiritus . . . . *partes duas.* . . . 2
Digere saepius agitando per biduum, exprime, filtra et in liquoris . . . . *partibus duodecim* 12
solve **Sacchari** . . . . *partes undeviginti.* 19

Sit coloris fusci.

Syrupus Rhamni catharticae.

Paretur e **Fructibus Rhamni** catharticae uti **Syrupus Cerasi.**

Sit coloris violacei.

Syrupus Rhei.

R. **Radicis Rhei concisae** . . *partes tres,* 3
Corticis Cinnamomi Cassiae contusi
partes tres quadrantes, 3/4
Kali carbonici puri . . . *partem quadrantem,* . 1/4
Aquae communis . . . . *partes viginti sex,* . 26
macera per noctem, cola, filtra et in liquoris
partibus viginti duabus 22
solve **Sacchari** . . . . *partes quadraginta.* . 40

Sit coloris e fusco rubri.

Syrupus Rhoeados.

R. **Florum Rhoeados recentium** . *partes duodecim,* . 12
Aquae communis fervidae . . *partes viginti,* . . 20
macera per noctem, exprime sine prelo et cola.
In colaturae . . . . *partibus viginti* . 20
solve **Sacchari** . . . . *partes triginta sex.* 36

Sit coloris ruberrimi.

Licet, macerationem florum rhoeados pro anno praeparare et in vasis plane repletis asservare.

Syrupus Rubi Idaei.

Paretur e **Fructibus Rubi Idaei** uti **Syrupus Cerasi.**

Sit coloris rubri.

Syrupus Sarsaparillae compositus.

R.	**Radicis Sarsaparillae concisae**	*partes viginti quatuor,*	24
	Ligni Guajaci raspati, ...		16
	Ligni Sassafras concisi, ...		16
	Rhizomatis Chinae concisi, singulorum	*partes sedecim,*	16
	Corticis Chinae fusci contusi . .	*partes octo,* .	8
	Fructuum Anisi contusorum . . .	*partes tres,* .	3

affunde **Aquae communis fervidae**
partes ducentas et quinquaginta, 250
stent in leni digestione per aliquot horas, tum exprime, filtra, et liquor evaporet in balneo vaporis ad remanentes
partes octoginta, . . . 80
in quibus solve **Sacchari** . . *partes centum et triginta.* 130

Sit coloris fusci.

Syrupus Senegae.

R.	**Radicis Senegae concisae**	*partem unam,*	1
	Spiritus	*partem unam et dimidiam,*	$1^1/_2$
	Aquae communis . . .	*partes duodecim,*	12

macera per biduum, exprime, filtra et in liquoris
partibus duodecim . . . 12
solve **Sacchari** . . . . . *partes undeviginti.* . . . 19

Sit coloris subflavi.

Syrupus Sennae cum Manna.

R.	**Foliorum Sennae concisorum**	*partes decem,* . .	10
	Fructuum Foeniculi contusorum	*partem unam,* . .	1
	Aquae fervidae	*partes quinquaginta,*	50

infunde per aliquot horas, exprime et in liquore solve
Mannae . . . . *partes quindecim* . 15

et cola. In colaturae *partibus quinquaginta quinque* 55
solve **Sacchari** . . . . *partes quinquaginta.* 50
Sit coloris fusci.

Syrupus simplex.

R. **Sacchari** . . . . *partes viginti,* . 20
Aquae communis . . . . *partes undecim.* 11
Solve. Sit coloris expers.

Syrupus Violae.

R. **Florum Violae recentium** . *partes quatuor,* . . 4
infunde **Aquae fervidae** . . . . *partibus quatuordecim* 14
per horas duodecim. In liquoris expressi et filtrati
partibus undecim . . 11
solve **Sacchari** . . . . *partes viginti.* . . . 20
Sit coloris saturate violacei.

Taffetas adhaesivum.

R. **Collae piscium** . . . . . . *partes decem.* . . . 10
Solve in **Aqua communi fervida**, ut colatura efficiat
partes centum viginti, 120
hujus solutionis calidae partibus sexaginta penicillo saepius inducatur tela bombycina, Taffent dicta, satis expansa, quae, **triginta grammatis Collae piscium** adhibitis longitudinem centum et quatuor centimetrorum, latitudinem quadraginta duorum centimetrorum habeat et siccetur, quod inductum fuerit.
Collae piscium solutae *residuae partibus sexaginta* paullatim 60
Spiritus . . . . *partes quadraginta,* 40
Glycerini . . . . *pars una* . . . 1
addantur et tela iterum eodem modo illinatur.

Tandem telae dorsum **Tincturae Benzoës** *quantitate sufficienti* inducatur, bene siccetur et loco sicco servetur.

Sit splendens, madefactum cuti tenaciter adhaerens.

Taffetas vesicans.

R. **Cantharidum pulveratarum,**
Corticis Mezerei concisi, singulorum
partes triginta sex, 36
Aetheris . . . . *partes ducentas.* . 200

Macera saepius agitando per dies octo, exprime, filtra et in tinctura solve

Mastiches . . . . *partes tres,* . . . 3
Sandaracae . . . . *partes octo,* . . . 8
Terebinthinae . . . . . . *partes duas,* . . . 2
Olei Lavandulae . . . . . . *partem unam.* . . 1

Solutionem ope penicilli telae bombycinae expansae et solutione concentrata Collae piscium semel obductae et siccatae ita illine, ut quadraginta solutionis grammatis telae superficies longitudine centimetrorum octoginta, latitudine centimetrorum quinquaginta inducatur.

Sit splendens, spiritu humectatum cuti adhaerens.

Tartarus boraxatus seu Kali tartaricum boraxatum.

R. **Boracis** . . . . *partem unam,* 1
solve in vase porcellanico in
Aquae destillatae . . . *partibus decem,* . . . 10
adde **Tartari depurati pulverati** *partes duas et dimidiam,* $2^1/_2$
et in balneo vaporis saepe agitando sepone, donec tartarus solutus fuerit. Liquor filtretur et in balneo vaporis evaporet, donec massa tenax et post refrigerationem friabilis facta sit. Quae in taenias extenuata leni calore siccetur,

et in pulverem redacta statim in vas calefactum bene claudendum immittatur.

Sit pulvis albus, aëre facile humescens, saporis acidi, in aquae aequali pondere solubilis.

Solutio aqua hydrosulphurata et ammonio sulphurato ne mutetur.

Tartarus depuratus seu Kali bitartaricum depuratum.

Praeparatum officinarum propriarum.

Crystalli albae, imperfecte formatae, cohaerentes, in aëre persistentes, in aquae frigidae partibus centum octoginta quatuor, in fervidae partibus duodeviginti solubiles, in spiritu non solubiles. Solutio aquosa aqua hydrosulphurata et ammonio sulphurato ne mutetur. Cum pondere aequali natri carbonici coctae solutionem fere limpidam praebentes.

Ad usum pharmaceuticum a calcaria tartarica hoc modo liberetur:

R. **Tartari depurati pulverati** . . . . *partes decem,* **10**
affunde **Aquae destillatae** . . . . *partes decem,* **10**
Acidi hydrochlorati puri . . . . *partem unam.* **1**

Digere in balneo vaporis interdum agitando per aliquot horas, tum post refrigerationem in manicam linteam immitte et primum **Aqua communi**, deinde **Aqua destillata** elue, donec liquor defluens ab argento nitrico non amplius turbetur. Residuum expansum siccetur.

Pulvis albus, in aquae frigidae partibus centum septuaginta solubilis, ceterum uti Tartarus depuratus se gerens, nisi quod cum eadem quantitate natri carbonici in aqua coctus solutionem limpidam praebeat.

Tartarus ferratus seu Ferro-Kali tartaricum.

R. **Ferri limati** . . . . *partem unam,* . . 1
Tartari depurati . . . . *partes quinque.* . . 5
Mixta in vase figulino **Aqua communi** addita in pultem redige, quam saepius agitando et aquae, quantum evaporaverit, addendo tam diu digere, donec massa fiat homogenea nigra et particula ejus exemta in aqua maxima ex parte soluta hanc aquam e viridi nigram reddat. Tum massa loco tepido siccata pulveretur.

Sit pulvis sordide subviridis, tempore fuscescens, ignitus odorem proprium spargens et remanente residuo valde alkaline reagente deflagrans. In aquae frigidae partibus sedecim ex maxima parte e subnigro viridi colore solubilis.

Tartarus ferratus depuratus seu Ferro-Kali tartaricum depuratum.

R. **Liquoris Ammonii caustici** . . . *partes tredecim,* 13
misce cum **Aquae destillatae** . . . . *quadruplo*
et mixtis inter agitationem instilla
Liquoris Ferri sulphurici oxydati *partes sedecim,* 16
Aquae destillatae . . . *partibus sexaginta quatuor* 64
antea dilutas, sed vide, ut ammonium post praecipitationem paullum praevaleat. Praecipitatum diligenter elue, adhuc humidum misce cum
Tartari depurati pulverati . . . *partibus quinque* 5
et leni calore digere, donec ferrum oxydatum solutum sit. Liquori limpido adde
Kali tartarici . . . . *partes novem,* . 9

filtra, lenissimo calore ad siccum evaporet et in pulverem grossum redigatur.

Pulvis subviridis, aëre humescens, in aqua et spiritu diluto solubilis, solutionem flavidam, vix turbidam praebens, quae additis guttis aliquot acidi hydrochlorati Ferro-Kalio cyanato flavo colore caeruleo, aqua hydrosulphurata colore albido praecipitetur.

Serva in vasis bene clausis.

Tartarus natronatus seu Natro-Kali tartaricum.

R. **Natri carbonici puri** . . *partes quatuor,* . . . 4
Tartari depurati pulverati *partes quinque,* . . . 5
infunde **Aquae destillatae** . . *partibus viginti quatuor,* 24
primum leniter calefiant, denique calor augeatur, ut ebulliant. Soluto, si non est alkalinum, tantum natri carbonici addatur, ut alkalinum fiat, deinde aliquamdiu sepositum filtretur et evaporet, donec in gutta exemta refrigerata crystalli oriantur, tum ad crystallisationem seponantur. Liquor remanens iterum iterumque evaporet et in crystallos redigatur, quamdiu crystalli oriuntur, quae abluantur et siccentur.

Sint crystalli coloris expertes, pellucidae, recte rhomboideae, in lateribus multifariam obtusatae, in aquae partibus duabus solubiles. Solutio acido acetico praecipitatum crystallinum praebeat, et eadem ammonio oxalico et aqua hydrosulphurata ne mutetur. Flamma spiritus colore flavo tingatur.

Tartarus stibiatus seu Stibio-Kali tartaricum.

R. **Aquae destillatae** . . . . *partes quadraginta octo,* 48
in vase porcellanico ad bullitum calefactis immitte

Stibii oxydati . . . . *partes quatuor,* 4
Tartari depurati . . . . *partes quinque,* 5

coque per horam, aquam, quae evaporaverit, restituendo. Soluta adhuc fervida filtrentur, evaporent, ut partes fere viginti septem restent et continua agitatione refrigerescant. Pulvis crystallinus ortus separetur a lixivio, quod continuata evaporatione ad quartam sui ponderis partem et continua agitatione pulverem crystallinum praebeat. Pulvis aqua destillata ablutus, intra chartam bibulam leni calore siccetur.

Sit pulvis albissimus, crystallinus, in aquae frigidae quindecim usque ad sedecim partibus, fervidae partibus duabus solubilis, in spiritu non solubilis; ignitus adeo ut acidum tartaricum omnino deletum sit, residuum relinquens, quod, si afflaveris, ne odorem alliaceum spargat. Solutio aquosa chartam exploratoriam caeruleam rubescat, et acido tartarico admixto ne baryo chlorato neve argento nitrico turbetur.

In vase bene clauso **caute** servetur.

Terebinthina.

Pinus Pinaster *Ait.*, **Pinus silvestris** *L.*, **Pinus palustris** *Willd.*, **Pinus nigricans** *Host*, **Picea excelsa** *Link.*

Balsamum consistentiae plus minusve spissioris, subgranulosum, tenax, lentum, opacum, coloris subflavi usque albidi, aut ex flavo subfusci; odoris peculiaris, gravis, saporis amari.

E truncis vulneratis arborum in Europa media et America boreali indigenarum effluit.

Terebinthina Laricis.

Larix decidua *Miller.*

Balsamum plerumque limpidum, interdum subturbidum, tenax, aequabile, consistentiae spissioris, coloris subflavi aut e subviridi flavi, odoris balsamici, saporis amari.

E truncis vulneratis arboris in Europa australi indigenae effluit.

Tincturae.

Tincturae, nisi qua alia ratio praescripta est, eo modo parentur, ut species aut grossiuscule pulveratae aut minutim concisae cum menstruo loco umbroso per dies sex, aliquoties per diem agitando, secundum praescriptum macerentur aut digerantur.

Maceratio fiat in vasis bene clausis temperatura 15—20°, digestio in vasis ad dimidiam modo repletis, ope vesicae, acu perforatae clausis, temperatura 35—40°.

Maceratione aut digestione peracta liquor refrigeratus, postquam liquor forsan evaporatione consumtus restitutus est, decantetur, residuum — si necesse est, ope preli — exprimatur, et postquam per viginti quatuor horas eo loco sepositum est, quo tincturae asservari solent, eodem loco filtretur.

Tincturae sint limpidae, sine sedimento, odoris peculiaris earum substantiarum, e quibus paratae sunt. Serventur in vasis bene clausis loco umbroso, cujus temperatura plus minusve 10—15° sit.

Tinctura Absinthii.

R. **Herbae Absinthii** . . . . *partem unam,* 1
Spiritus diluti . . . . *partes quinque* 5

et para digestione tincturam.

Sit coloris ex fusco viridis.

Tincture Aconiti.

R. **Tuberum Aconiti** . . . . *partem unam,* 1
Spiritus diluti . . . . *partes decem* 10
et para digestione tincturam.
Sit coloris ex flavo fusci. **Caute** servetur.

Tinctura Aloës.

R. **Aloës** . . . . *partem unam,* 1
Spiritus . . . . *partes quinque* 5
et para digestione tincturam.
Sit coloris e nigro fusci.

Tinctura Aloës composita.

R. **Aloës** . . . . *partes novem,* . 9
Radicis Gentianae, ... 1
Radicis Rhei, ... 1
Rhizomatis Zedoariae, ... 1
Croci, ... 1
Fungi Laricis, singulorum . . . *partem unam,* . 1
Spiritus diluti . . . . *partes ducentas* 200
et para digestione tincturam.
Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Aloës composita acida.

R. **Aloës,**
Myrrhae, singularum . . *partes duas,* 2
Croci . . . . *partem unam,* . . . 1
Spiritus . . . . *partes viginti quatuor.* 24
Acidi sulphurici diluti . . *partes duas.* 2
Macera per dies octo, deinde filtra.
Sit coloris ex rubro fusci obscurioris et limpida.

Tinctura amara.

R. **Fructuum Aurantii immaturorum,** 2
Herbae Centaurii, ... 2
Radicis Gentianae, singulorum . . *partes duas,* . 2
Rhizomatis Zedoariae . . . . . . *partem unam,* 1
Spiritus diluti . . . . . *partes triginta quinque* 35
et para digestione tincturam.

Sit coloris fusci, paullum subviridis.

Tinctura Arnicae.

Paretur e **Floribus Arnicae** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura aromatica.

R. **Corticis Cinnamomi Cassiae** . *partes quatuor,* . 4
Cardamomi minoris, ... 1
Caryophyllorum, ... 1
Rhizomatis Galangae, ... 1
Zingiberis, singulorum . . . *partem unam,* . . 1
Spiritus diluti . . . . . . *partes quadraginta* 40
et para digestione tincturam.

Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura aromatica acida.

Paretur uti **Tinctura aromatica**, nisi quod
Spiritus diluti . . . . . *partibus quadraginta* 40
ante digestionem addantur
Acidi sulphurici puri . . . *partes duae.* . . . 2

Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura Asae foetidae.

Paretur ex **Asa foetida** uti **Tinctura Aloës.**
Sit coloris e subflavo rufi.

Tinctura Aurantii.

Paretur e **Cortice Fructus Aurantii** uti **Tinctura Absinthii.**
Sit coloris subfusci.

Tinctura Balsami Peruviani.

Paretur e **Balsamo Peruviano** uti **Tinctura Aloës.**
Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Belladonnae.

R.	**Foliorum Belladonnae recentium** .	*partes quinque,*	**5**
	Spiritus	*partes sex* .	**6**

et para maceratione tincturam.
Sit coloris e fusco viridis. **Caute servetur.**

Tinctura Benzoës.

Paretur e **Benzoës** uti **Tinctura Aloës.**
Sit coloris e subflavo rufi.

Tinctura Benzoës composita.

R.	**Benzoës**	*partes novem,*	**9**
	Aloës	*partem unam,* . . .	**1**
	Balsami Peruviani . . .	*partes duas,*	**2**
	Spiritus	*partes septuaginta tres*	**73**

et para digestione tincturam.
Sit coloris e flavo subfusci.

Tinctura Calami.

Paretur maceratione e **Rhizomate Calami** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura Cannabis Indicae.

R. **Extracti Cannabis Indicae** . . . . *partem unam,* 1
solve in **Spiritus** . . . . *partibus novem* 9
et filtra.

Sit coloris subviridis.

Tinctura Cantharidum.

R. **Cantharidum** . . . . *partem unam,* 1
Spiritus . . . . *partes decem* . 10
et para maceratione tincturam.

Sit coloris e flavo viridis. **Caute** servetur.

Tinctura Cantharidum concentrata.

Paretur maceratione e **Cantharidibus** uti **Tinctura Aloës.**

Sit coloris e subfusco viridis. **Caute** servetur. Ad usum veterinarium adhibenda.

Tinctura Capsici.

Paretur digestione ex **Fructibus Capsici** uti **Tinctura Cantharidum.**

Sit coloris e subfusco aurantiaci. **Caute** servetur.

Tinctura Cascarillae.

Paretur e **Cortice Cascarillae** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Castorei Canadensis.

Paretur maceratione e **Castoreo Canadensi** uti **Tinctura Aloës.**

Sit coloris saturate fusci.

Tinctura Castorei Sibirici.

Paretur maceratione e **Castoreo Sibirico** uti **Tinctura Aloës.**

Sit coloris e rufo fusci.

Tinctura Catechu.

Paretur e **Catechu** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris saturate fusci.

Tinctura Chelidonii.

Paretur ex **Herba Chelidonii** uti **Tinctura Belladonnae.**

Sit coloris e subfusco viridis.

Tinctura Chinae composita.

R.	**Corticis Chinae fusci** . . .	*partes tres,*	3
	Fructus Corticis Aurantii, ...		1
	Radicis Gentianae, singulorum	*partem unam,* . . .	1
	Corticis Cinnamomi Cassiae	*partem dimidiam,* . .	$^1/_2$
	Spiritus diluti	*partes viginti quinque*	25

et para digestione tincturam.

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Chinae simplex.

Paretur e **Cortice Chinae fusco** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Chinoidini.

R.	**Chinoidini**	*partes duas,* . . .	2
	Spiritus	*partes septemdecim,*	17
	Acidi hydrochlorati puri . .	*partem unam.* . .	1

Solve et filtra.

Tinctura Cinnamomi.

Paretur e **Cortice Cinnamomi Zeylanici** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Colchici.

Paretur e **Semine Colchici optime contuso** et **per cribrum trajecto** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris flavi. **Caute** servetur.

Tinctura Colchici vinosa.

R.	**Seminis Colchici optime contusi et per cribrum trajecti**	*partem unam,*	1
	Vini Hispanici	*partes quinque*	5

et para tincturam.

Sit coloris e flavo fusci. **Caute** servetur.

Tinctura Colocynthidis.

Paretur digestione e **Fructibus Colocynthidis** a seminibus liberatis uti **Tinctura Cantharidum.**

Sit coloris flavi. **Caute** servetur.

Tinctura Conii.

Paretur maceratione ex **Herba Conii recenti** uti **Tinctura Belladonnae.**

Sit coloris e subfusco viridis. **Caute** servetur.

Tinctura Croci.

Paretur maceratione e **Croco** uti **Tinctura Aconiti.**

Sit coloris saturate aurantiaci.

Tinctura Digitalis.

Paretur e **Foliis Digitalis recentibus** uti **Tinctura Belladonnae.**

Sit coloris e fusco viridis. **Caute** servetur.

Tinctura Digitalis aetherea.

R.	**Foliorum Digitalis**	*partem unam,*	1
	Spiritus aetherei	*partes decem*	10

et para maceratione tincturam.

Sit coloris saturate viridis. **Caute** servetur.

Tinctura Euphorbii.

Paretur digestione ex **Euphorbio** uti **Tinctura Cantharidum.**

Sit coloris e rubro flavi. **Caute** servetur.

Tinctura Ferri acetici aetherea.

R.	**Liquoris Ferri acetici** .	*partes septuaginta quinque,*	75
	Spiritus	*partes quindecim,* . . .	15
	Aetheris acetici . . .	*partes decem.*	10

Misceantur.

Sit coloris fusci, pellucida, aqua destillata in omnibus proportionibus miscenda. Tincturae partes centum contineant sex partes ferri.

Tinctura Ferri chlorati.

R. **Ferri chlorati recens parati** . . . *partem unam*, . 1
solve in **Spiritus diluti** . . . . *partibus novem.* 9

Partibus *ducentis quinquaginta* adde **Acidi hydrochlorati** *partem unam* et filtra.

Sit limpida, coloris e subflavo viridis. In vitris non amplis serva.

Tinctura Ferri chlorati aetherea.

R. **Liquoris Ferri sesquichlorati** *partem unam*, . . . 1
Spiritus aetherei . . . . . *partes quatuordecim.* 14

Mixta in lagenis vitreis cylindricis, bene obturatis solis radiis expone, donec color ex fusco flavus omnino evanuerit; tum vasa loco umbroso interdum aperiendo sepone, donec tincturae color sit subflavus.

Sit recens parata coloris expers, tempore viridescens denique flavescens; valde etiam aqua diluta ferro-kalii cyanato flavo et rubro colore caeruleo praecipitetur. Contineat ferri partem unam in 100 partibus.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

Tinctura Ferri pomata.

R. **Extracti Ferri pomati** . . . . . . *partem unam*, 1
Aquae Cinnamomi spirituosae . . . *partes novem.* 9
Solve et filtra.

Sit coloris e fusco nigri.

Tinctura Formicarum.

R. **Formicarum recens collectarum, a quisquiliis mundatarum et contritarum** . . . . . *partes duas,* **2**
Spiritus . . . . *partes tres* . **3**
et para tincturam.
Sit coloris fusci.

Tinctura Gentianae.

Paretur e **Radice Gentianae** uti **Tinctura Absinthii.**
Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura Guajaci.

Paretur e **Resina Guajaci** uti **Tinctura Aloës.**
Sit coloris saturate e rubro fusci.

Tinctura Guajaci ammoniacata.

R. **Resinae Guajaci** . . . . *partes tres,* . **3**
Spiritus . . . . *partes decem,* **10**
Liquoris Ammonii caustici . . . *partes quinque* **5**
et para macератione tincturam.
Sit coloris e viridi fusci.

Tinctura Jodi.

R. **Jodi** . . . . *partem unam,* **1**
Spiritus . . . . *partes decem.* **10**
Solve et decanta.
Sit coloris saturate e rubro fusci. **Caute** servetur.

Tinctura Ipecacuanhae.

Paretur e **Radice Ipecacuanhae** uti **Tinctura Aconiti.**
Sit coloris e subrubro fusci. **Caute** servetur.

Tinctura Kino.

Paretur e **Kino** uti **Tinctura Aloës.**
Sit coloris saturate e rubro fusci.

Tinctura Lobeliae.

Paretur ex **Herba Lobeliae** uti **Tinctura Aconiti.**
Sit coloris e fusco viridis.

Tinctura Macidis.

Paretur maceratione e **Macide** uti **Tinctura Aloës.**
Sit coloris e subrubro flavi.

Tinctura Moschi.

R.	**Moschi**	*partem unam,*	1
	Spiritus diluti, ...		5
	Aquae destillatae, singulorum . .	*partes quinque*	5

et para maceratione tincturam.
Sit coloris e subrufo fusci.

Tinctura Myrrhae.

Paretur e **Myrrha** uti **Tinctura Aloës.**
Sit coloris ex rufo flavi.

Tinctura Opii benzoica.

R.	**Opii pulverati,**	1
	Acidi benzoici, ...	1
	Camphorae, ...	1

Olei Anisi, singulorum . . . . *partem unam,* 1
Spiritus diluti . . . . *partes ducentas.* 200

Macera per dies sex saepius agitando et filtra.

Sit coloris subflavi. **Caute** servetur.

Partes centum continent solubile e parte dimidia Opii.

Tinctura Opii crocata.

R. **Opii pulverati** . . . . *partes sedecim,* 16
Croci . . . . *partes sex,* . . 6
Caryophyllorum, ... 1
Corticis Cinnamomi Cassiae, singulorum
partem unam, 1
Vini Hispanici . *partes centum quinquaginta duas* 152

et para maceratione tincturam.

Sit coloris saturate e rubro fusci.

Caute servetur.

Tincturae partes decem continent, quae ex una parte Opii pulverati solvi possunt.

Tinctura Opii simplex.

R. **Opii pulverati** . . . . *partes quatuor,* . 4
Spiritus diluti, ... 19
Aquae destillatae, singulorum . *partes undeviginti* 19

et para digestione tincturam.

Sit coloris e rubro fusci obscurioris et ponderis specifici = 0,980. **Caute** servetur.

Tincturae partes decem continent, quae ex una parte Opii pulverati solvi possunt.

Tinctura Pimpinellae.

Paretur ex **Radice Pimpinellae** uti **Tinctura Absinthii.** Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura Pyrethri.

Paretur ex **Radice Pyrethri** uti **Tinctura Aloës.**
Sit coloris e subviridi flavi.

Tinctura Ratanhae.

Paretur ex **Radice Ratanhae** uti **Tinctura Absinthii.**
Sit coloris saturate e rubro fusci.

Tinctura Rhei aquosa.

R. **Radicis Rhei in taleolas tenuissimas scissae** *partes duas,* . . 2
Kali carbonici depurati . . . *partem dimidiam,* 1/2
Aquae communis frigidae . . *partes viginti.* . . 20
Macera per viginti quatuor horas, liquoris expressi *partes septemdecim* 17
semel ebulliant, post refrigerationem filtra et adde
Aquae Cinnamomi spirituosae *partes tres.* . . . 3
Sit coloris e rubro fusci. In lagunculis serva.

Tinctura Rhei vinosa.

R. **Radicis Rhei** . . . . *partes octo,* . . 8
Corticis Fructus Aurantii . . . *partes duas,* . 2
Cardamomi minoris . . . . . *partem unam,* . 1
Vini Hispanici . . . . *partes centum,* . 100
post macerationem et expressionem solve
Sacchari . . . . *partes duodecim* 12
et filtra.
Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Scillae.

Paretur e **Bulbo Scillae** uti **Tinctura Absinthii.**
Sit coloris flavi.

Tinctura Spilanthis composita.

R. **Herbae Spilanthis florentis et recentis** *partes duas,* . 2
Radicis Pyrethri . . . . *partem unam,* 1
Spiritus . . . . *partes quatuor.* 4
Digere per triduum, exprime et filtra.

Sit coloris ex flavo fusci.

Tinctura Stramonii.

Paretur e **Semine Stramonii** uti **Tinctura Aconiti.**
Sit coloris e subfusco flavi. **Caute** servetur.

Tinctura Strychni.

Paretur e **Semine Strychni** uti **Tinctura Aconiti.**
Sit coloris flavi. **Caute** servetur.

Tinctura Toxicodendri.

Paretur e **Foliis Toxicodendri** uti **Tinctura Aconiti.**
Sit coloris e flavo viridis. **Caute** servetur.

Tinctura Valerianae.

Paretur maceratione e **Radice Valerianae** uti **Tinctura Absinthii.**

Sit coloris fusci.

Tinctura Valerianae aetherea.

R. **Radicis Valerianae** . . . . *partem unam,* 1
Spiritus aetherei . . . . *partes quinque* 5
et para maceratione tincturam.

Sit coloris flavi, demum subfuscescentis.

Tinctura Vanillae.

Paretur maceratione e **Vanilla** uti **Tinctura Absinthii.** Sit coloris e rubro fusci.

Tragacantha.

Astragalus verus *Oliv.*, **Astragalus Creticus** *Lam.*, **Astragalus gummifer** *Labill.* **et aliae species.**

Laminae planae, tenues, subrotundae aut spiraliter promotae, falcatim curvatae, elevationibus concentricis, semirotundis praeditae, aut frusta tenuia, filiformia, plus minusve cochleata, elevationes parvas concentricas praebentia. Substantia cornea, subdiaphana, tenax, aegre pulveranda, coloris albi aut e subflavo albidi, odoris expers. In aqua nec soluta intumescit, cum aqua coquenti mucilaginem spissam praebet.

Succus exsudatus et induratus e trunco fruticum in Graecia et Asia minori indigenarum.

Trochisci Ipecacuanhae.

R. **Radicis Ipecacuanhae** *partem unam,* 1
infunde **Aquae fervidae** . . *partes quinque.* 5
Stent per aliquot horas loco calido, cola, filtra et cum
Sacchari pulverati . . *partibus quadraginta novem,* 49
Tragacanthae pulveratae *parte una* 1
fiat massa, e qua formentur trochisci ponderis centigrammatum viginti quinque.

Trochiscus continet, quae ex milligrammatibus quinque radicis Ipecacuanhae solvi possunt.

Trochisci Natri bicarbonici.

R.	**Sacchari pulverati**	*partes tredecim,*	13
	Natri bicarbonici pulverati . . .	*partem unam,* .	1
	Magnesiae carbonicae	*partes duas.* .	2

Misce et ope spiritus diluti fac massam, e qua formentur trochisci ponderis circiter grammatis.

Trochisci Santonini.

R.	**Santonini**	*partem unam,*	1
	Sacchari pulverati	*partes triginta.*	30

Misce et ope albuminis ovorum quantum satis fiat massa, e qua formentur trochisci ponderis grammatis.

Numerus unus continet Santonini centigrammata tria.

Tubera Aconiti.

Aconitum Napellus *L.*

Tubera obconica, superne residuo caulis vel gemma terminata, plerumque per paria cohaerentia, tum aetatis inaequalis, siccata dura, quinque ad octo centimetra longa, superne duo ad tria centimetra crassa, hornotina ponderosa, compacta, intus albida, annotina levia, intus subfusca, non raro excavata, utrumque extus fuscum, sulcatum, radicibus abscissis paullum cicatricatum. In segmento transverso cortex crassus, est punctatus et a medulla ampla, stellatim circumscripta circulo ligneo, angustissimo, obscuriore, stellatim quinque-vel octo-radiato, radiis valde porrectis, separatus.

Rejiciantur Aconiti Cammari *Jacquini* tubera, prioribus minora, circiter duo centimetra longa, superne duodecim millimetra crassa, ligno et medulla irregulariter stellatis, radiis parum porrectis, nec non tubera Aconiti

Stoerckiani *Reichenbach,* saepissime per plura cohaerentia, magis elongata, ligno et medulla obtuse vel rotundato-angulatis nec stellatis instructa.

Colligenda tubera e planta spontanea florente; **caute** servanda.

Tubera Jalapae.

Ipomoea Purga *Hayne.*

Tubera vel globosa vel piriformia vel oblonga, variae magnitudinis, integra aut dissecta, compacta, ponderosa, extus fusca, rugosa, in rugis resina nigricante obducta, intus laete fusca, zonis concentricis, numerosis, obscurioribus, cellulas resiniferas nitidas continentibus notata. **Caute** serventur. Contineant minimum resinae partes decem in centum pulveris partibus.

Advehuntur tubera herbae redivivae e Mexicanis terris.

Tubera Salep.

Species variae generum Orchidearum *Juss.,* **Orchis, Ophrys, Platanthera cet.**

Tubera irregulariter ovata vel oblonga, rarius palmata, unum ad duo et dimidium centimetra longa, subdiaphana, soliditate cornea, colore sordide albo vel ex albido subfusco, pulverata cum aqua mucilaginem praebentia. Cave, ne bulbi Colchici immixti sint.

Ex Oriente ad nos advehuntur, aut ab Ophrydeis indigenis sumuntur.

Unguentum acre.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi,** **1**
Cantharidum pulveratarum, ... **1**

Liquoris Stibii chlorati, **singulorum** *partem unam*, 1
Unguenti basilici . . . . *partes quatuor.* 4
Misce exactissime. Nonnisi ad dispensationem paretur.

Unguentum ad Fontanellas.

R. **Olei Olivarum** . . . . *partes duodecim*, 12
Cerae flavae, ... 4
Cantharidum pulveratarum, **singularum** *partes quatuor*, 4
Euphorbii pulverati . . . . . *partem unam*, . 1

digere saepius agitando in balneo vaporis per horas sex, cola, exprime et agita donec semirefrigeratum sit.

Sit coloris luteoli.

Unguentum basilicum.

R. **Olei Olivarum** . . . . *partes sex*, . 6
Cerae flavae, ... 2
Colophonii, ... 2
Sebi ovilli, **singulorum** . . . . . *partes duas*, . 2
Terebinthinae . . . . *partem unam.* 1

Leni calore liquata colentur, et ad refrigerationem leviter agitentur.

Sit coloris ex flavo fusci.

Unguentum Cantharidum.

R. **Cantharidum grosso modo pulveratarum** *partem unam*, 1
Olei Olivarum Provincialis . . . *partes quatuor.* 4

Digere saepius agitando in balneo vaporis per horas sex: Post refrigerationem exprime, filtra et adde

Cerae flavae . . . . *partes duas.* . 2

Leni calore liquata agita usque ad refrigerationem.

Sit coloris viridis.

Unguentum cereum.

R. **Olei Olivarum Provincialis** . . . *partes quinque,* 5
Cerae albae . . . . *partes duas.* . 2
In balneo vaporis liquata agita donec refrixerint.
Sit coloris ex albo subflavi.

Unguentum Cerussae.

R. **Cerussae subtilissime tritae** . . . . *partes duas,* 2
Adipis suilli . . . . *partes tres.* 3
Misce exactissime.
Sit albissimum.

Unguentum Cerussae camphoratum.

R. **Camphorae pulveratae** . . . *partem unam,* . . . 1
Unguenti Cerussae . . . . *partes viginti quatuor.* 24
Misce exactissime.
Sit albissimum.

Unguentum Digitalis.

R. **Extracti Digitalis** . . . . *partem unam,* 1
solve pauxillo **Aquae destillatae** et misce exacte cum
Adipis suilli . . . . *partibus octo,* 8
Cerae flavae . . . . *parte una* . 1
antea liquatis.
Sit coloris viridis.

Unguentum Elemi.

R. **Elemi,**
Terebinthinae Laricis,
Sebi ovilli,
Adipis suilli, **singulorum** *partes aequales.*
In balneo vaporis liquata colentur.
Sit coloris e subviridi subflavi.

Unguentum emolliens.

R. **Cerae albae** . . . . . *partes octo,* 8
Cetacei . . . . *partes decem,* 10
Olei Amygdalarum . . *partes sexaginta quatuor.* 64
In balneo vaporis liquatis et semirefrigeratis admisce assidue terendo
Aquae Rosae . . . . . *partes triginta duas,* . . 32
Olei Rosae . . . . . . *partem dimidiam.* . . . 1/2
Sit unguentum molle et albissimum.

Unguentum flavum.

R. **Rhizomatis Curcumae pulverati** *partem unam,* . . 1
Adipis suilli . . . . . *partes quadraginta octo,* 48
Cerae flavae, ... 3
Picis albae, singularum . *partes tres.* 3
Liquefacta stent saepius agitando per semihoram in digestione, colentur et agitentur, donec refrixerint.
Sit flavum.

Unguentum Glycerini.

R. **Amyli** . . . . *partes duas,* . 2
contere cum **Aquae destillatae** . . . . *parte una,* . 1
adde **Glycerini** . . . . *partes decem* 10
et calefiant in balneo vaporis, donec massa diaphana, aequabilis facta sit.

Unguentum Hydrargyri album.

R. **Hydrargyri praecipitati albi** . . *partem unam,* . 1
misce cum **Adipis suilli** . . . . . . *partibus novem.* 9
Sit albissimum.

Unguentum Hydrargyri cinereum.

R. **Hydrargyri depurati** . . . . *partes sex,* . 6
Unguenti Hydrargyri cinerei, quale praesto est,
partem unam, 1

contere, donec globuli hydrargyri animadverti non possint, tum exactissime
admisce **Sebi ovilli** . . . . *partes quatuor,* 4
Adipis suilli . . . . *partes octo* . . 8
antea liquatas et refrigeratas.

Sit e subcaeruleo cinereum, hydrargyri globulis oculo inermi non distinguendis.

Unguentum Hydrargyri citrinum.

R. **Hydrargyri depurati** . . . . . *partem unam,* . 1
solve adjuvante calore in **Acidi nitrici** *partibus duabus* 2
aut quantum ad solutionem sufficit. Liquorem adhuc calidum sensim ac prudenter misce cum
Adipis suilli calefacti . . . . *partibus duodecim* 12
et semirefrigeratum in capsulas chartaceas effunde.

Sit consistentiae sebi, coloris e flavescenti grisei.

Unguentum Hydrargyri fortius.

R. **Hydrargyri depurati** . . . . *partes duas,* . 2
Olei Cacao, ... 1
Adipis suilli, singulorum . . . . *partem unam.* 1
Tere in mortario ad perfectam Hydrargyri subactionem.

Sit cinereum, hydrargyri globulis oculo inermi non distinguendis.

Unguentum Hydrargyri rubrum.

R. **Hydrargyri oxydati rubri**	*partem unam,* .	1
misce cum **Adipis suilli**	*partibus novem.*	9

Sit rubrum.

Unguentum Kalii jodati.

R. **Kalii jodati**	*partes tres,*	3
solve in **Aquae destillatae** . .	*partibus duabus,* . .	2
misce cum **Adipis suilli** . . .	*partibus viginti duabus,*	22
Cerae flavae	*partibus tribus* . . .	3

antea liquatis.

Sit flavidum.

Unguentum Linariae.

R. **Herbae Linariae recentis concisae** .	*partem unam,*	1
Adipis suilli	*partes duas.*	2

Coque leni calore ad humidi consumtionem, tunc exprime.

Sit coloris subviridis.

Unguentum Majoranae.

Paretur ex **Herba Majoranae recenti** uti **Unguentum Linariae.**

Sit coloris viridis.

Unguentum Mezerei.

Paretur ex **Extracto Mezerei** uti **Unguentum Digitalis.** Misce exactissime.

Unguentum Plumbi.

R. **Cerae albae** . . . . *partes octo,* . . . 8
Adipis suilli . . . . *partes viginti novem.* 29
In balneo vaporis liquatis, tum semirefrigeratis sensim admisce
Liquoris Plumbi subacetici . *partes tres.* . . . 3
Agitentur, donec omnino refrixerint.
Sit album.

Unguentum Plumbi tannici.

R. **Praecipitati humidi**, uti ad Plumbum tannicum pultiforme obtinetur, ... *partem unam,* . 1
misce sedulo cum **Adipis suilli** . . . . *partibus duabus.* 2
Sit coloris subfusci.

Unguentum Populi.

R. **Gemmarum Populi recentium** . . *partes quinque,* 5
Adipis suilli . . . . *partes novem,* . 9
Cerae flavae . . . . *partem unam.* . 1
Coque leni calore ad humidi consumtionem, tum exprime.
Sit e flavo viride.

Unguentum rosatum.

R. **Adipis suilli** . . . . *partes quatuor,* 4
Cerae albae . . . . *partem unam.* 1
In balneo vaporis liquatis et semirefrigeratis sensim admisce
Aquae Rosae . . . . *partem unam,* 1
ut fiat unguentum albissimum.

Unguentum Rosmarini.

R. **Adipis suilli**, ... *partes sedecim*, 16
Sebi ovilli, ... *partes sex*, . . 6
Cerae flavae, ... 2
Olei Lauri, **singulorum** . . . . *partes duas*. . 2

In balneo vaporis liquatis et semirefrigeratis admisce
Olei Rosmarini, ... 1
Olei Juniperi, ... 1
Olei Menthae crispae, **singulorum** . *partem unam*. 1

Sit subviride.

Unguentum Sabinae.

Paretur ex **Extracto Sabinae** uti **Unguentum Digitalis**.
Sit viride.

Unguentum sulphuratum compositum.

R. **Sulphuris sublimati**, ... 1
Zinci sulphurici pulverati, **singulorum** *partem unam*, 1
Adipis suilli . . . . *partes octo*. 8

Misce. Sit coloris citrini.

Unguentum Tartari stibiati.

R. **Tartari stibiati subtilissime contriti** *partes duas*, . 2
misce exactissime cum **Adipis suilli** . . *partibus septem*, 7
Cerae albae . . . . *parte una* . . 1

antea liquatis.

Sit albissimum.

Unguentum Terebinthinae.

R. **Terebinthinae,** 1
Cerae flavae, singularum . . . . . *partem unam,* 1
leni calore liquatis admisce
Olei Terebinthinae . . . . *partem unam,* 1
lene agita, donec refrixerint.

Sit molliusculum, coloris subflavi.

Unguentum Zinci.

R. **Zinci oxydati** . . . . *partem unam* . 1
misce exactissime cum **Unguenti cerei** . *partibus novem.* 9

Sit albidum.

Vanilla saccharata.

R. **Vanillae minutim concisae** . . . . *partem unam,* 1
Sacchari . . . . *partes novem.* 9
Tere sedulo. Sit pulvis ex albo griseus.

Veratrinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Pulvis albus, in partiunculis parvis cohaerens, saporis acris, non amari, odoris expers, particula autem vel minima ad nasum appropinquata sternutamentum vehemens excitans. In aqua vix, in spiritus frigidi partibus tribus, fervidi partibus duabus, difficilius, sed perfecte in aethere, in acidis dilutis facile solubilis. In solutionibus kali causticum praecipitatum praebeat, in kali abundante insolubile, sed in spiritu, aethere et chloroformio solubile. Solutio spirituosa aethere ne turbetur, acidulata platino chlorato ne praecipitetur. Acido sulphurico concentrato affuso primum

obscure flavo, tum ex flavo rubro, rubro et violaceo colore se tingat.

Ignitus primum liquescens, tum sine residuo deflagrans.

Cautissime servetur.

Vinum.

Vitis vinifera *L.*

In usum pharmaceuticum veniunt:

Vinum generosum album,
Vinum generosum rubrum,
Vinum Hispanicum,
Vinum Hungaricum dulce.

Vinum stibiatum.

R. **Tartari stibiati** . . . . *partem unam,* 1
solve in **Vini Hispanici** *partibus ducentis quadraginta novem.* 249
Filtra. Sit limpidum.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Zincum.

Metallum ductile, colore ex albido caerulescenti, structura crasse granulata, fragile, in candescentia volatile. Fere semper ferro, interdum arsenico et cadmio inquinatum.

Zincum aceticum.

R. **Zinci hydrico-carbonici,** uti in Zinco oxydato obtenti,
partes viginti septem 27
cum **Aquae destillatae** . . . . *partibus quinquaginta* 50

conterantur et addantur

Acidi acetici diluti . . . . *partes centum*. . . . 100

Mixta calefiant, donec zincum carbonicum omnino sit solutum, quo facto adhuc calida filtrentur et leni calore ad crystallisationem evaporent. Crystalli ortae in charta bibula calore non adhibito siccentur. E liquore residuo continuata et evaporatione et crystallisatione, quantum fieri potest, zincum aceticum obtinere cures.

Sint crystalli coloris expertes, tabulaeformes, lamellares aut squamosae, in aquae frigidae partibus tribus, fervidae sesqui partibus et in spiritu solubiles; solutio paullum acida kali hydrico colore albo praecipitetur, quod praecipitatum in kali abundante solvatur et aqua hydrosulphurata colore albo praecipitetur. Hoc praecipitatum ammonio carbonico excedente plane solvatur, et solutio gutta acidi phosphorici ne turbetur.

Caute servetur.

Zincum chloratum.

R. **Zinci hydrico-carbonici,** uti in Zinco oxydato obtenti,
partes viginti septem . 27

cum **Aquae destillatae** . . . . *partibus octoginta,* . . 80

conterantur et addantur

Acidi hydrochlorati puri . *partes septuaginta sex.* 76

Mixta calefiant, donec zincum carbonicum omnino solutum sit. Solutum per alumen plumosum filtratum inter continuam agitationem ad siccum evaporet. Massa adhuc calida pulverata statim in vas calefactum immittatur.

Sit pulvis albus, grumosus, aëre facile deliquescens, ignitus liquescens, et vaporibus albis avolans remanente

residuo aestu flavescente, in aqua facile ad liquorem turbidulum solubilis, qui acido hydrochlorato clarificetur et spiritu ne turbetur. Signa omnia puritatis uti in zinco sulphurico.

In vase bene clauso **caute** servetur.

Zincum cyanatum.

R. **Zinci acetici** . . . . *partes sex,* . . 6
Aquae destillatae . . . . . . *partes sexaginta,* 60
in solutionem, si necesse est, filtratum ingere productum destillationis e
Ferro-Kalii cyanati . . . . . *partibus octo,* . . 8
Acidi sulphurici puri . . . . *partibus quatuor,* 4
Aquae communis . . . . *partibus octo.* . 8
Praecipitatum inde ortum filtro colligatur, **Aqua destillata** eluatur, inter chartam bibulam loco umbroso, calorem evitando siccetur et in pulverem redigatur.

Sit pulvis albissimus, in aqua et spiritu insolubilis, in acido hydrochlorato acidum hydrocyanatum emittens solubilis.

Cautissime servetur.

Zincum ferro-cyanatum.

R. **Ferro-Kalii cyanati** . . *partes sex,* 6
in **Aquae destillatae** . . . . *partibus sexaginta,* . . 60
solvantur et instillentur in mixturam e
Zinci sulphurici puri . *partibus octo* 8
et **Aquae destillatae** . . . . *partibus centum octoginta* 180
paratam. Mixturam repone loco tepido, donec liquor supernatans nonnisi opalescens appareat. Tum primum liquorem in filtrum immitte et quod defluxit refunde, donec

liquor plane limpidus defluat. Tum praecipitatum quoque filtro injice, in eo perfecte **Aqua destillata** edulcora et leni calore sicca.

Sit pulvis albus, in aqua, ammonio caustico et acidis mineralibus dilutis insolubilis; ignitus residuum alkaline reagens relinquat et acido hydrochlorato affuso ferro-kalium cyanatum colore caeruleo praecipitetur.

Caute in vase bene clauso servetur.

Zincum lacticum.

R. **Sacchari Lactis pulverati** *partes duodecim,* **12**
solve in **Seri Lactis** . . . *partibus ducentis quadraginta* **240**
et adde praecipitatum bene elotum et humidum e
Zinci sulphurici . . *partibus novem et dimidia* . $9^1/_2$
et **Natri carbonici puri** . *partibus decem* **10**
paratum, uti in zinco oxydato diximus. Stent in temperatura 25—30° interdum agitando, post dies decem vel quatuordecim massa aqua diluatur, filtretur et in crystallos redigatur.

Crystalli coloris expertes aut crustae crystallinae, in aquae frigidae partibus quinquaginta et octo, fervidae partibus sex solubiles, in spiritu non solubiles, solutio aqua hydrosulphurata colore albo praecipitetur.

In vase clauso **caute** servetur.

Zincum oxydatum.

R. **Natri carbonici depurati** . . . *partes quinque,* . **5**
in **Aquae destillatae** . . . . *partibus sexaginta* **60**
solutis et filtratis inter continuam agitationem addatur solutum e

Zinci sulphurici . . . . *partibus quatuor* . 4
et **Aquae destillatae** . . . . *partibus duodecim* 12
paratum atque filtratum, quo facto mixtura in balneo vaporis calefiat et per aliquot horas seponatur. Praecipitatum in manicam linteam immissum **Aqua destillata** perfecte eluatur et loco tepido siccetur. Hoc zincum hydrico-carbonicum calefiat, donec portiuncula exemta aqua mixta et in acidum quodlibet infusa nullam efficiat effervescentiam.

Sit pulvis non densus, albus, ignitus flavescens; aqua, quacum conquassatur et filtratur, ne baryta nitrica neve argento nitrico turbetur, neve post evaporationem residuum relinquat. In acido acetico sine effervescentia solvatur, quae solutio ammonio caustico praevalente ne turbetur, sed addita aqua hydrosulphurata colore albo praecipitetur, quod praecipitatum acido hydrochlorato solvatur.

In vasis bene clausis servetur.

Zincum sulphuricum.

R. **Zinci in frustulis** . . . . *partes tres,* . . 3
affunde mixturam ex
Acidi sulphurici crudi . . . . *partibus quatuor* 4
et **Aquae communis** . . . . *partibus sedecim* 16
paratam. Reponantur inter frequentes agitationes loco calido, donec gasis evolutio cessaverit. Liquori per aliquot dies reposito filtrato et calefacto adde tantum **Aquae communis**, ut pondus sit totius *partium viginti quatuor.* 24
Deinde lagenam ad dimidiam partem impleas zinci sulphurici liquore et ex apparatu ad aquam chlori parandam descripto **Chlorum** tamdiu inducatur, donec liquor chloro

sit saturatus. Ab hacce mixtura separa *partem tricesimam* et praecipita liquore e **Natro carbonico depurato** in triplo **Aquae destillatae** soluto. Praecipitatum bene elutum adhuc humidum admisce liquido zinci sulphurici calefacto, donec portiuncula exemta et filtrata addito ferro-kalii cyanato colore albo, non caeruleo praecipitetur. Liquori filtrato adde

Acidi sulphurici diluti . . . *partem sexagesimam* $^1/_{60}$

et evaporatione in crystallos redige, quae aqua paullum abluantur et siccentur. Liquor residuus evaporet, quamdiu crystalli oriuntur.

Sint crystalli coloris expertes, plerumque prismaticae, in aëre sicco lente fatiscentes, in aquae aequali pondere solubiles, in spiritu vix solubiles. Solutio aquosa ammonio caustico praecipitatum praebeat, quod in eo abundante perfecte solvatur; aqua hydrosulphurata praecipitatum album ne mutetur.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

Zincum valerianicum.

R. **Acidi valerianici** . . . *partem unam,* **1**

solve in **Aquae destillatae** *partibus nonaginta,* . . **90**

adde sensim **Zincum hydrico-carbonicum** ex

partibus una et dimidia **$1^1/_2$**

Zinci sulphurici paratum et adhuc humidum, ut in zinco oxydato diximus, calefac in balneo vaporis, digere, filtra et leni calore evaporet. Crystalli ortae, quum apparent, removeantur et leni calore siccentur. Evaporatione repetita crystallos obtinere licet.

Sint crystalli albae, instar unionum conchae nitentes, tactu pinguiusculae, acidum valerianicum redolentes, in

aquae frigidae partibus nonaginta, in fervidae minori copia et in spiritu solubiles. Aqua et nonnullis acidi hydrochlorati guttis superfusis acidum valerianicum secernatur. In ammonio caustico excedente plane solubiles, quae solutio neque calcio chlorato, nec natro phosphorico mutetur.

In vitro bene clauso **caute** servetur.

Reagentia.

Acidum aceticum.
Acidum hydrochloratum.
Acidum nitricum.
Acidum oxalicum.
Acidum phosphoricum.
Acidum sulphuricum.
Acidum sulphuricum dilutum.
Acidum tannicum, in Aquae destillatae partibus novem solvendum.
Acidum tartaricum, in Aquae destillatae partibus quatuor solvendum.
Aether.
Ammonium carbonicum, in Aquae destillatae partibus quatuor solutum.
Ammonium chloratum, in Aquae destillatae partibus novem solutum.
Ammonium oxalicum, in Aquae destillatae partibus undeviginti solutum.
Ammonium hydrosulphuratum.
Amylum.
Aqua Calcariae.
Aqua Chlori.
Aqua hydrosulphurata.
Argentum nitricum, in Aquae destillatae partibus quatuordecim solutum.
Argentum sulphuricum, in Aquae destillatae partibus nonaginta novem solutum.
Baryta nitrica, in Aquae destillatae partibus undeviginti soluta.
Baryum chloratum, in Aquae destillatae partibus novem solutum.
Calcaria.
Calcaria sulphurica, quam maxime in Aqua destillata soluta.
Charta exploratoria caerulea.
Charta exploratoria lutea.
Charta exploratoria rubra.
Chloroformium.
Cuprum.
Cuprum sulphuricum, in Aquae destillatae partibus quatuor solutum.
Ferro-Ammonium sulphuricum.
Ferro-Kalium cyanatum, in Aquae destillatae partibus novem solutum.

Ferro-Kalium cyanatum rubrum, in Aquae destillatae partibus novem solutum.

Ferrum sulphuratum.

Ferrum sulphuricum.

Gelatina animalis.

Hydrargyrum bichloratum corrosivum, in Aquae destillatae partibus undeviginti solutum.

Jodum.

Kali aceticum, in Aquae destillatae partibus duabus solutum.

Kali bichromicum.

Kali chromicum.

Kali hypermanganicum, in Aquae destillatae partibus novem millibus nongentis nonaginta novem solutum.

Kali sulphuricum.

Liquor Ammonii caustici.

Liquor Ferri sesquichlorati.

Liquor Kali caustici.

Liquor Natri caustici.

Magnesia sulphurica, in Aquae destillatae partibus novem soluta.

Natrium.

Natrium chloratum.

Natrum carbonicum, in Aquae destillatae partibus quatuor solutum.

Natrum subsulphurosum, in Aquae destillatae partibus novem solutum.

Platinum chloratum, in Aquae destillatae partibus novem solutum.

Plumbum aceticum, in Aquae destillatae partibus novem solvendum.

Solutio Indici.

Spiritus.

Spiritus absolutus.

Stannum chloratum, in Aquae destillatae Acido hydrochlorato acidulatae partibus novem solutum.

Tinctura Jodi.

Zincum metallicum.

TABULAE.

Tabula

comparans pondus Grammatum cum pondere medicinali regionum aliarum.

A.

	respondet Granis	in:
Gramma unum	15,43	Anglia.
	13,71	Austria.
	16,09	Badensi Magno-Ducatu.
	16,00	Bavaria et Hannovia.
	16,42	Borussia et Saxonia.
	18,43	Francia (pond. Livre).
	16,12	Hassia, Dania et Holsatia.
	15,36	Hollandia et Belgia.
	20,05	Hispania.
	16,10	Russia, Helvetia, et illis Germaniae regionibus, quae pond. Norico utuntur.
	20,82	Sardinia.
	22,45	Sicilia.
	16,16	Suecia.

B.

Grammata	respondent Granis. p. m. in:								
	Anglia	Austria	Badens.	Bavaria et Hannovia	Borussia et Saxonia	Hassia, Dania etc.	Hollandia et Belgia	ubi pond. Noricum	Suecia
1	15,432	13,714	16,099	16,000	16,420	16,116	15,360	16,103	16,155
2	30,864	27,428	32,198	32,000	32,840	32,232	30,720	32,206	32,310
3	46,296	41,142	48,297	48,000	49,260	48,348	46,080	48,309	48,465
4	61,728	54,856	64,396	64,000	65,680	64,464	61,440	64,412	64,620
5	77,160	68,570	80,495	80,000	82,100	80,580	76,800	80,515	80,775
6	92,592	82,284	96,594	96,000	98,520	96,696	92,160	96,618	96,930
7	108,024	95,998	112,693	112,000	114,940	112,812	107,520	112,721	113,085
8	123,456	109,712	128,792	128,000	131,360	128,928	122,880	128,824	129,240
9	138,888	123,426	144,891	144,000	147,780	145,044	138,240	144,927	145,395

Punctum decimale 1, 2, 3 loca ad dextram porro ponendi numeri cum 10, 100, 1000 multiplicantur; vice versa dividuntur.

E. g. 4321 Grammata respondent
66680 Granis anglicis,
quoniam

4000	Grammata sunt	=	61728	Granis angl.
300	„ „	=	4629	„ „
20	„ „	=	308	„ „
1	„ „	=	15	„ „
4321	Grammata sunt	=	66680	Granis angl.

4321 Milligrammata respondent
66,680 Granis anglicis,
quoniam

4000	Milligrammata	=	61,728	Granis angl.
300	„	=	4,629	„ „
20	„	=	0,308	„ „
1	„	=	0,015	„ „
4321	Milligrammata	=	66,680	Granis angl.

Pondera medicinalia omnium fere regionum.

	Libr.	Libr. sem.	Unc.	Unc. sem.	Drachm.	Drach. sem.	Scrupul.	Scrup. sem.	Gran.
Granum · · ·	·	·	·	·	·	·	·	·	1
Scrupulus semis	·	·	·	·	·	·	·	1	10
Scrupulus · ·	·	·	·	·	·	·	1	2	20 [1]
Drachma semis ·	·	·	·	·	·	1	1½	3	30
Drachma · ·	·	·	·	·	1	2	3	6	60
Uncia semis ·	·	·	·	1	4	8	12	24	240
Uncia · · ·	·	·	1	2	8 [2]	16	24	48	480
Libra semis ·	·	1	6	12	48	96	144	288	2880
Libra · · · ·	1	2	12	24	96	192	288	576	5760

1) In Italia, Hispania, Lusitania, Roma et Sardinia continet scrupulus 24 grana.

2) Uncia Siciliensis componitur decem drachmis.

Pondus Gallicum Grammatum, sic dictum decimale,

	continet	Grammata
Myriagramma · · · · · ·	10000,000	10000
Kilogramma [1] · · · · · ·	1000,000	1000
Hectogramma · · · · · ·	100,000	100
Decagramma · · · · · ·	10,000	10
Gramma · · · · · · · ·	1,000	1
Decigramma · · · · · · ·	0,100	1/10
Centigramma · · · · · ·	0,010	1/100
Milligramma · · · · · · ·	0,001	1/1000

1) Kilogramma est pondus Decimetri cubici (i. e. Litre) aquae destillatae sub temperatura 4° C. et Meter est 1/10000000 fere pars Quadrantis terrae.

Tabula

exhibens relationem variorum ponderum medicinalium ad pondus Grammatum, sic dictum decimale.

In:	Libra	Uncia	Drachma	Scrupulus	Granum
	continet Grammata				
America	372,998	31,083	3,885	1,295	0,0645
Anglia	373,244	31,003	3,875	1,291	0,0645
Austria	420,009	35,007	4,376	1,459	0,0729
Badensi Magno-Ducatu	357,780	29,815	3,727	1,262	0,0631
Batavia	374,960	31,246	3,903	1,301	0,0650
Bavaria et Hannovia	360,000	30,000	3,750	1,250	0,0625
Borussia et Saxonia	350,783	29,232	3,654	1,218	0,0604
Coloniensis Marca	467,454	38,954	4,869	1,623	0,0811
~~Dania~~ Gammelt	~~357,669~~	~~29,805~~	~~3,725~~	~~1,241~~	~~0,0620~~
Francia = Danica,	375,000	31,250	3,906	1,302	0,0651
Gallia p. antiquum (unciae sedecim)	489,506	40,792	5,099	1,699	0,0849
Gallia p. novum	500,000	41,666	5,208	1,736	0,0868
Hamburgo	357,629	29,802	3,725	1,241	0,0620
Hassia et Holsatia	357,664	29,805	3,725	1,241	0,0620
Hollandia et Belgia	375,000	31,250	3,906	1,302	0,0651
Hispania	344,822	28,735	3,592	1,197	0,0499
Lusitania	344,160	28,680	3,585	1,195	0,0494
Roma	339,191	28,266	3,533	1,178	0,0490
Russia, Helvetia et compluribus Germaniae regionibus (Pond. Noricum medic.)	357,954	29,829	3,728	1,242	0,0621
Sardinia	331,961	27,663	3,458	1,153	0,0480
Sicilia	320,761	26,730	2,673	0,891	0,0445
Suecia	356,437	29,703	3,714	1,238	0,0619
Wirtenberga	357,634	29,803	3,725	1,241	0,0621

Nu gjældende Danske

Meter

in	respondet pedibus
Anglia	2,2809
Austria	3,1634
Badensi Magno-Ducatu	$3\frac{1}{3}$
Bavaria	3,4263
Borussia	3,1862
Brunsvigia	3,5043
Francia	3,0784
Hannovia	3,4235
Hassia	3,4758
Saxonia	3,5312
Wirtemberga	3,4905

Tabula

medicamenta exhibens vulgo venena vocata, quae locis seclusis asservanda sunt.

Acidum arsenicosum.
Acidum hydrocyanatum.
Aconitinum.
Atropinum.
Atropinum sulphuricum.
Coniinum.
Digitalinum.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum bijodatum rubrum.
Hydrargyrum nitricum oxydulatum.
Hydrargyrum oxydatum.
Hydrargyrum praecipitatum album.
Liquor Kali arsenicosi.
Morphinum.
Morphinum aceticum.
Morphinum hydrochloratum.
Oleum Amygdalarum aethereum.
Phosphorus.
Strychninum.
Strychninum nitricum.
Veratrinum.
Zincum cyanatum.

Tabula

medicamenta sistens a reliquis separanda.

Acidum hydrochloratum crudum.
Acidum hydrochloratum purum.
Acidum nitricum crudum.
Acidum nitricum fumans.
Acidum nitricum purum.
Acidum sulphuricum crudum.
Acidum sulphuricum fumans.
Acidum sulphuricum purum.
Aerugo.
Aqua Amygdalarum.
Aqua Lauro-Cerasi.
Argentum nitricum crystallisatum.
Argentum nitricum fusum.
Argentum nitricum fusum cum Kali nitrico.
Auro-Natrium chloratum.
Baryum chloratum.
Cadmium sulphuricum.
Cantharides.
Cerussa.
Chloroformium.
Cuprum aceticum.
Cuprum aluminatum.
Cuprum carbonicum.
Cuprum oxydatum.
Cuprum sulphuricum ammoniatum.
Cuprum sulphuricum crudum.
Cuprum sulphuricum purum.
Euphorbium.
Extractum Aconiti.
Extractum Belladonnae.
Extractum Colocynthidis.
Extractum Conii.
Extractum Digitalis.
Extractum Gratiolae.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Ipecacuanhae.
Extractum Lactucae.
Extractum Mezerei.
Extractum Opii.
Extractum Pulsatillae.
Extractum Sabinae.
Extractum Stramonii.
Extractum Strychni.
Ferrum jodatum saccharatum.
Folia Belladonnae.
Folia Digitalis.
Folia Hyoscyami.
Folia Stramonii.
Folia Toxicodendri.
Fructus Colocynthidis.
Fructus Sabadillae.
Gutti.
Herba Conii.

Herba Gratiolae.
Hydrargyrum chloratum mite.
Hydrargyrum jodatum flavum.
Hydrargyrum praecipitatum nigrum.
Jodum.
Kali causticum fusum.
Kali causticum siccum.
Kalium jodatum.
Kreosotum.
Lactucarium.
Liquor Kali caustici.
Liquor Natri caustici.
Liquor Plumbi subacetici.
Liquor Stibii chlorati.
Lithargyrum.
Minium.
Oleum Crotonis.
Oleum Sabinae.
Oleum Sinapis.
Opium.
Oxymel Aeruginis.
Plumbum aceticum.
Plumbum jodatum.
Pulvis Ipecacuanhae opiatus.
Radix Belladonnae.
Radix Ipecacuanhae.
Radix Scammonii.
Resina Jalapae.
Resina Scammoniae.
Rhizoma Veratri.
Semen Colchici.
Semen Hyoscyami.
Semen Stramonii.
Semen Strychni.
Spiritus Sinapis.
Sulphur jodatum.
Summitates Sabinae.
Tartarus stibiatus.
Tinctura Aconiti.
Tinctura Belladonnae.
Tinctura Cantharidum.
Tinctura Cantharidum concentrata.
Tinctura Capsici.
Tinctura Colchici.
Tinctura Colchici vinosa.
Tinctura Colocynthidis.
Tinctura Conii.
Tinctura Digitalis.
Tinctura Digitalis aetherea.
Tinctura Euphorbii.
Tinctura Jodi.
Tinctura Ipecacuanhae.
Tinctura Opii benzoïca.
Tinctura Opii crocata.
Tinctura Opii simplex.
Tinctura Stramonii.
Tinctura Strychni.
Tinctura Toxicodendri.
Tubera Aconiti.
Tubera Jalapae.
Vinum stibiatum.
Zincum aceticum.
Zincum chloratum.
Zincum ferro-cyanatum.
Zincum lacticum.
Zincum sulphuricum.
Zincum valerianicum.

Tabula

exhibens doses medicamentorum maximas pro adulto, ultra quas medicus ne praescribat pro usu interno nisi addito signo !

	Grammata	
	Pro dosi.	Pro die.
Acidum arsenicosum	0,005	0,01
Acidum hydrocyanatum	0,04	0,16
Aconitinum	0,004	0,03
Aqua Amygdalarum	2,	7,
Aqua Lauro - Cerasi	2,	7,
Argentum nitricum	0,03	0,2
Atropinum	0,001	0,004
Atropinum sulphuricum	0,001	0,002
Auro - Natrium chloratum	0,06	0,2
Baryum chloratum	0,12	1,5
Cantharides	0,06	0,24
Coniinum	0,001	0,003
Cuprum ammoniato - sulphuricum	0,1	0,4
Cuprum sulphuricum	0,1	0,4
Digitalinum	0,003	0,012
Extractum Aconiti	0,03	0,12
Extractum Belladonnae	0,1	0,4
Extractum Colocynthidis	0,06	0,4
Extractum Conii	0,18	1,
Extractum Digitalis	0,2	0,8
Extractum Gratiolae	0,3	1,5
Extractum Hyoscyami	0,2	1,
Extractum Ipecacuanhae	0,15	—
Extractum Lactucae	0,6	2,5

	Grammata	
	Pro dosi.	Pro die.
Extractum Opii	0,1	0,4
Extractum Pulsatillae	0,2	1,
Extractum Sabinae	0,2	1,
Extractum Stramonii	0,1	0,4
Extractum Strychni	0,06	0,24
Ferrum jodatum	0,06	0,24
Ferrum jodatum saccharatum	0,3	1,
Folia Belladonnae	0,2	0,6
Folia Digitalis	0,3	1,
Folia Hyoscyami	0,3	1,
Folia Stramonii	0,25	1,
Folia Toxicodendri	0,4	1,2
Fructus Colocynthidis	0,3	1,
Fructus Sabadillae	0,25	1,
Gutti	0,3	1,
Herba Conii	0,3	2,
Herba Gratiolae	0,5	2,5
Hydrargyrum bichloratum corrosivum . . .	0,03	0,1
Hydrargyrum bijodatum rubrum	0,03	0,1
Hydrargyrum jodatum flavum	0,06	0,4
Hydrargyrum nitricum oxydulatum	0,015	0,06
Hydrargyrum oxydatum rubrum	0,03	0,1
Hydrargyrum praecipitatum nigrum	0,05	0,2
Jodum	0,03	0,12
Kreosotum	0,04	0,16
Lactucarium	0,30	1,2
Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati	0,1	0,5
Liquor Kali arsenicosi	0,04	0,2
Morphinum	0,03	0,12
Morphinum aceticum	0,03	0,12
Morphinum hydrochloratum	0,03	0,12
Oleum Amygdalarum aethereum	0,04	0,16
Oleum Crotonis	0,06	0,3
Opium pulveratum	0,1	0,4

	Grammata	
	Pro dosi.	Pro die.
Phosphorus	0,015	0,06
Plumbum aceticum	0,06	0,4
Radix Belladonnae	0,2	0,6
Semen Strychni	0,12	0,5
Strychninum	0,01	0,03
Strychninum nitricum	0,01	0,03
Tartarus stibiatus	0,2	1,
Tinctura Aconiti	1,	4,
Tinctura Belladonnae	2,	8,
Tinctura Cantharidum	0,6	1,2
Tinctura Colchici	2,	6,
Tinctura Colchici vinosa	2,	6,
Tinctura Colocynthidis	0,5	1,5
Tinctura Conii	1,	3,
Tinctura Digitalis	2,	6,
Tinctura Digitalis aetherea	1,	3,
Tinctura Jodi	0,3	0,12
Tinctura Ipecacuanhae	0,6	5,
Tinctura Opii crocata	0,6	2,
Tinctura Opii simplex	0,6	2,
Tinctura Stramonii	1,	3,
Tinctura Strychni	1,	3,
Tinctura Toxicodendri	1,	3,
Tubera Aconiti	0,12	0,6
Veratrinum	0,006	0,03
Zincum chloratum	0,015	0,1
Zincum cyanatum	0,005	0,012
Zincum ferro-cyanatum	0,06	0,25
Zincum lacticum	0,06	0,3
Zincum sulphuricum	0,06	0,3
Zincum sulphuricum, quod pro emetico refracta dosi	1,2	—
Zincum valerianicum	0,06	0,3

Pondera specifica

medicaminum liquidorum, quae in revisionibus officinarum exploranda sunt, calore 15°.

Acidum aceticum dilutum	1,040
Acidum hydrochloratum purum	1,124
Acidum nitricum purum	1,180
Acidum phosphoricum	1,122
Acidum sulphuricum dilutum	1,113 — 1,117
Acidum sulphuricum purum	1,840
Aether	0,725
Aether aceticus	0,900 — 0,904
Chloroformium	1,492 — 1,496
Glycerinum	1,123
Liquor Ammonii acetici	1,028 — 1,032
Liquor Ammonii caustici	0,960
Liquor Ammonii succinici	1,050 — 1,054
Liquor Ferri acetici	1,134 — 1,138
Liquor Ferri oxydati sulphurici	1,340
Liquor Ferri sesquichlorati	1,480 — 1,484
Liquor Kali acetici	1,176 — 1,180
Liquor Plumbi subacetici	1,236 — 1,240
Liquor Stibii chlorati	1,350 — 1,400
Mixtura sulphurica acida	0,998 — 1,002
Spiritus	0,830 — 0,834

Spiritus aethereus	0,808 — 0,812
Spiritus Aetheris chlorati	0,838 — 0,842
Spiritus Aetheris nitrosi	0,836 — 0,840
Spiritus dilutus	0,892
Tinctura Opii simplex	0,980

Tabula*)

medicamenta exhibens, quae in omni officina semper praesto esse debent.

Acetum crudum
,, Scillae.
Acidum aceticum concentratum.
,, ,, dilutum.
,, arsenicosum.
,, benzoïcum.
,, hydrochloratum crudum.
,, ,, purum.
,, nitricum crudum.
,, ,, purum.
,, phosphoricum.
,, succinicum.
,, sulphuricum crudum.
,, ,, dilutum.
,, ,, purum.
,, tannicum.
,, tartaricum.
Adeps suillus.
Aerugo seu Cuprum subaceticum.
Aether.
,, aceticus.
Aloë.
Alumen seu Alumina - Kali sulphuricum.
Ammoniacum seu Gm. - Resina Ammoniacum.
Ammonium carbonicum.
,, chloratum.
Aqua Amygdalarum amararum.
,, Calcariae.
,, Chlori.
,, Cinnamomi.
,, ,, spirituosa.
,, communis.
,, destillata.
,, Foeniculi.
,, Menthae piperitae.
Argentum nitricum fusum.
Asa foetida seu Gummi - resina Asa foetida.
Balsamum Copaivae.
,, Peruvianum.
Baryum chloratum.
Benzoë seu Resina Benzoë.
Bismuthum subnitricum.
Borax seu Natrum biboricum.
Bulbus Scillae.
Calcaria hypochlorosa.

*) Hanc tabulam exempli tantum gratia dedimus et rogamus, ut in quaque civitate, quae in hac re opus sunt, jubeantur.

Camphora.
Cantharides.
Caragaheen.
Caryophylli.
Castoreum Canadense.
Catechu.
Cera alba.
„ flava.
Cerussa seu Plumbum carbonicum.
Cetaceum.
Chininum sulphuricum.
Chinoidinum.
Chloroformium.
Cinnabaris seu Hydrarg. sulphuratum rubr.
Coccionella.
Colla piscium.
Collodium.
Colophonium seu Resina Colophonium.
Conchae praeparatae.
Cortex Cascarillae.
„ Chinae Calisayae.
„ „ fuscus.
„ Cinnamomi Cassiae.
„ „ Zeylanici.
„ Frangulae.
„ Fructus Aurantii.
„ Quercus.
„ Radicis Granati.
Crocus.
Cuprum sulphuricum ammoniatum.
„ „ purum.
Elemi seu Resina Elemi.
Elixir Aurantiorum compositum.
Emplastrum adhaesivum.
„ Cantharidum ordinarium.
„ „ perpetuum.
„ Cerussae.
„ Hydrargyri.
„ Lithargyri compositum.
„ „ simplex.
Euphorbium.
Extractum Absinthii.
„ Aconiti.
„ Aloës.
„ Belladonnae.
„ Cardui benedicti.
„ Cascarillae.
„ Centaurii.
„ Chinae.
„ „ frigid. par.
„ Colocynthidis.
„ Colombo.
„ Dulcamarae.
„ Ferri pomatum.
„ Filicis.
„ Gentianae.
„ Graminis.
„ Hyoscyami.
„ Lactucae.
„ Opii.
„ Quassiae.
„ Ratanhae.
„ Rhei.
„ „ compositum.
„ Strychni.
„ Taraxaci.
„ Trifolii.
„ Valerianae.

Fel Tauri inspissatum.
Ferrum et Ammonium chloratum.
„ jodatum saccharatum.
„ lacticum.
„ pulveratum.
„ sulphuricum crudum.
„ „ purum.
Flores Arnicae.
„ Aurantii.
„ Chamomillae Romanae.
„ „ vulgaris.
„ Cinae.
„ Kusso.
„ Lavandulae.
„ Malvae arboreae.
„ „ vulgaris.
„ Millefolii.
„ Rhoeados.
„ Rosae.
„ Sambuci.
„ Tiliae.
„ Verbasci.
Folia Aurantii.
„ Belladonnae.
„ Cardui benedicti.
„ Digitalis.
„ Farfarae.
„ Hyoscyami.
„ Juglandis.
„ Melissae.
„ Menthae crispae.
„ „ piperitae.
„ Millefolii.
„ Nicotianae.
„ Rosmarini.
„ Salviae.
Folia Sennae.
„ Stramonii.
„ Trifolii.
„ Uvae Ursi.
Fructus Anisi stellati.
„ „ vulgaris.
„ Aurantii immaturi.
„ Cannabis.
„ Cardamomi minores seu Cardamomum minus.
„ Carvi.
„ Colocynthidis.
„ Coriandri.
„ Cubebae seu Cubebae.
„ Foeniculi.
„ Juniperi.
„ Papaveris immaturi.
„ Phellandrii.
Fungus igniarius praeparatus.
Galbanum seu Gummi-resina Galbanum.
Gallae.
Glycerinum.
Gummi Arabicum.
Gutti seu Gummi-resina Gutti.
Herba Absinthii.
„ Centaurii.
„ Conii.
„ Lobeliae.
„ Meliloti.
„ Polygalae.
„ Serpylli.
„ Thymi.
„ Violae tricoloris.
Hirudines.
Hydrargyrum.
„ bichloratum corrosivum.

Hydrargyrum chloratum mite.
„ depuratum.
„ nitricum oxydulatum.
„ oxydatum rubrum.
„ praecipitatum album.
„ „ nigrum.
„ sulphuratum nigrum.
Indicum.
Jodum.
Kali aceticum.
„ carbonicum crudum.
„ „ depuratum.
„ „ purum.
„ causticum siccum.
„ chloricum.
„ nitricum.
„ sulphuricum.
„ tartaricum.
Kalium jodatum.
„ sulphuratum pro balneis.
Kino.
Kreosotum.
Lichen Islandicus.
Lignum Guajaci.
„ Quassiae.
„ Sassafras.
Linimentum saponato-camphoratum.
Liquor Ammoniaci acetici.
„ „ anisatus.
„ „ caustici.
„ „ succinici.
„ Ferri acetici.
„ „ oxydati sulphurici.
Liquor Ferri sesquichlorati.
„ Plumbi subacetici.
Lithargyrum seu Plumbum oxydatum.
Lycopodium.
Macis.
Magnesia carbonica.
„ sulphurica.
„ usta.
Manganum hyperoxydatum.
Manna.
Mastiche seu Resina Mastiche.
Mel.
„ depuratum.
„ rosatum.
Minium seu Plumbum oxydatum rubrum.
Mixtura sulphurica acida.
„ vulneraria acida.
Morphinum hydrochloratum.
Moschus.
Myrrha seu Gummi-resina Myrrha.
Natrium chloratum.
Natrum aceticum purum.
„ bicarbonicum.
„ carbonicum crudum.
„ „ depuratum.
„ „ siccum.
„ nitricum.
„ sulphuricum.
Oleum Amygdalarum.
„ animale aethereum.
„ Anisi.
„ Cajeputi rectificatum.
„ Carvi.
„ Caryophyllorum.
„ Cinnamomi Cassiae.
„ Citri.

Oleum Crotonis.
„ Foeniculi.
„ Fructuum Juniperi.
„ Jecoris Aselli.
„ Lavandulae.
„ Lini.
„ Macidis.
„ Majoranae.
„ Menthae piperitae.
„ Myristicae.
„ Olivarum.
„ Papaveris.
„ Ricini.
„ Rosmarini.
„ Sinapis.
„ Succini rectificatum.
„ Terebinthinae.
„ „ rectificatum.
„ Thymi.
„ Valerianae.
Olibanum seu Gummi-resina Olibanum.
Opium.
Ova gallinacea.
Oxymel Scillae.
Phosphorus.
Pix alba seu Resina Pini.
Plumbum aceticum.
Pulpa Tamarindorum cruda.
„ „ depurata.
Radix Althaeae.
„ Angelicae.
„ Arnicae.
„ Artemisiae.
„ Bardanae.
„ Belladonnae.
„ Caryophyllatae.
Radix Colombo.
„ Gentianae.
„ Glycyrrhizae.
„ „ glabrae.
„ Hellebori viridis.
„ Ipecacuanhae.
„ Pimpinellae.
„ Ratanhae.
„ Rhei.
„ Saponariae.
„ Sarsaparillae.
„ Senegae.
„ Serpentariae.
„ Taraxaci.
„ Valerianae.
Resina Guajaci.
„ Jalapae.
„ Scammonii.
Rhizoma Calami.
„ Filicis.
„ Galangae.
„ Graminis.
„ Iridis.
„ Veratri.
„ Zedoariae.
„ Zingiberis.
Saccharum.
„ Lactis.
Sandaraca seu Resina Sandaraca.
Santoninum.
Sapo domesticus.
„ medicatus.
„ oleaceus.
Sebum ovillum.
Secale cornutum.

Semen Amygdali amar. seu Amygd. amarae.
„ Amygdali dulc. seu Amygdalae dulces.
„ Colchici.
„ Hyoscyami.
„ Lini.
„ Myristicae.
„ Papaveris.
„ Quercus.
„ „ tostum.
„ Sinapis.
„ Stramonii.
„ Strychni.

Species aromaticae.
„ Lignorum.
„ pectorales.

Spiritus Aetheris chlorati.
„ „ nitrosi.
„ camphoratus.
„ dilutus.
„ Formicarum.
„ saponatus.

Stibium sulphuratum aurantiacum.

Stipites Dulcamarae.

Strychninum nitricum.

Succinum.

Succus Glycyrrhizae crudus.
„ „ depuratus.

Sulphur.
„ depuratum.
„ praecipitatum.
„ sublimatum.

Summitates Sabinae.

Syrupus Althaeae.

Syrupus Cinnamomi.
„ communis.
„ Corticis Aurantii.
„ Glycyrrhizae.
„ Rhamni catharticae.
„ Rhei.
„ Rubi Idaei.
„ Senegae.
„ Sennae mannatus.
„ simplex.

Taffetas adhaesivum.
„ vesicans.

Tartarus boraxatus seu Kali tartaricum boraxatum.
„ depuratus seu Kali bitartaricum depuratum.
„ natronatus seu Natro-Kali tartaricum.
„ stibiatus seu Stibio-Kali tartaricum.

Terebinthina.
„ Laricis.

Tinctura Absinthii.
„ Aloës.
„ amara.
„ Arnicae.
„ aromatica.
„ „ acida.
„ Asae foetidae.
„ Aurantii.
„ Cantharidum.
„ Castorei Canadensis.
„ Catechu.
„ Chinae composita.
„ „ simplex.
„ Cinnamomi.
„ Colchici.

Tinctura Colchici vinosa.
„ Digitalis.
„ Ferri chlorati aetherea.
„ „ pomati.
„ Formicarum.
„ Guajaci.
„ „ ammoniacata.
„ Jodi.
„ Ipecacuanhae.
„ Lobeliae.
„ Myrrhae.
„ Opii crocata.
„ „ simplex.
„ Pimpinellae.
„ Rhei aquosa.
„ „ vinosa.
„ Strychni.
„ Valerianae.
„ „ aetherea.

Tragacantha.
Tubera Aconiti.
„ Jalapae.
„ Salep.
Unguentum basilicum.
„ Cantharidum.
„ cereum.
„ Hydrargyri cinereum.
„ Plumbi.
„ Rosmarini compositum.
Veratrinum.
Vinum generosum album.
„ „ rubrum.
„ Hispanicum.
„ stibiatum.
Zincum oxydatum.
„ sulphuricum depuratum.

Index Synonymorum.

Nomina

alias usitata.	**in hoc libro usitata.**
Acetas Ammon. liquid. s. solutus.	Liquor Ammonii acetici.
„ cupricus cum Aqua. . .	Cuprum aceticum.
„ Kali.	Kali aceticum.
„ kalicus liquidus. „ Lixiviae solutus. . . .	Liquor Kali acetici.
„ Morphii.	Morphinum aceticum.
„ natricus cum Aqua. . .	Natrum aceticum.
„ plumbicus.	Plumbum aceticum.
„ Potassae.	Kali aceticum.
„ Sodae.	Natrum aceticum.
Acetum acerrimum.	Acidum aceticum concentratum.
„ antisepticum. „ Berolinense. „ bezoardicum. „ cardiacum. . . .	Acetum aromaticum.
„ concentratissimum. . .	Acidum aceticum concentratum.
„ concentratum. . . .	„ „ dilutum.
„ destillatum. „ dilutum.	Acetum purum.
„ glaciale (Westendorfii).	Acidum aceticum concentratum.
„ Lithargyri.	Liquor Plumbi subacetici.
„ quatuor latronum. . .	Acetum aromaticum.
„ Plumbi.	Liquor Plumbi acetici.
„ prophylacticum. . . .	Acetum aromaticum.
„ radicale.	Acidum aceticum concentratum.
„ Saturni.	Liquor Plumbi subacetici.
„ Vini.	Acetum crudum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Acidum acet. concentratissimum.	Acidum aceticum concentratum.
„ „ dilutum Ph. Austr.	Acetum crudum.
„ „ „ Ph. Hass.	„ purum.
„ borussicum.	Acidum hydrocyanatum.
„ essentiale Tartari. . .	„ tartaricum.
„ muriaticum.	„ hydrochloratum.
„ „ dephlogisticatum liquidum.	Aqua Chlori.
„ „ oxygenatum.	Aqua Chlori.
„ nitroso-chloricum. . .	Acidum chloro-nitrosum.
„ pyro-lignosum. . . .	Acetum pyro-lignosum.
„ scytodephicum. . . .	Acidum tannicum.
„ sulphuricum Nordhusian.	„ sulphuricum fumans.
„ stibiosum et stibicum. .	Stibium oxydatum.
„ Vitrioli.	Acidum sulphuricum.
„ zooticum.	„ hydrocyanatum.
Aerugo crystallisata.	Cuprum aceticum.
Aes.	Cuprum.
Aether muriaticus alcoholisatus.	Spiritus Aetheris chlorati.
„ sulphuricus.	Aether.
„ „ alcoholisatus.	Spiritus aethereus.
Aethiops antimonialis.	Hydrargyrum sulphuratum et Stibium sulphuratum.
„ Ferri.	Ferrum oxydulato-oxydatum.
„ martialis(praecipitatus).	Ferrum oxydulato-oxydatum.
„ mercurialis. . . .	Hydrargyrum sulphuratum.
„ mineralis. . . .	Hydrargyrum sulphuratum.
Agaricum.	Fungus Laricis.
„ Chirurgorum.	„ igniarius praeparatus.
Album Bismuthi.	Bismuthum subnitricum.
„ Plumbi.	Cerussa.
Alcohol.	Spiritus.
„ Aceti (Westendorfii). .	Acidum aceticum concentratum.
„ ammoniacalis Dzondii. .	Liquor Ammonii caustici spirituosus.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Alcohol camphoratus.	Spiritus camphoratus.
„ Cochleariae destillatus.	„ Cochleariae.
„ Formicarum destillatus.	„ Formicarum.
„ Lavandulae destillatus.	„ Lavandulae.
„ saponatus.	„ saponatus.
„ Sulphuris.	Carboneum sulphuratum.
Alkali minerale.	Natrum carbonicum.
„ volatile.	Ammonium carbonicum.
Alumen calcinatum.	Alumen ustum.
Ammonia et Ammoniacum. . .	Ammonium.
Ammonium aceticum liquidum s. solutum. .	Liquor Ammonii acetici.
„ carbonicum liquidum s. solutum. .	„ Ammonii carbonici.
„ „ pyro-oleosum solutum. . .	„ Ammonii pyro-oleosi.
„ causticum solutum. .	„ Ammonii caustici.
„ chloratum ferratum s. martiatum.	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ cuprico-sulphuricum.	Cuprum sulphuricum ammoniatum.
„ empyreumaticum. .	Ammonium carbonicum pyro-oleosum.
„ hydrochloratum ferratum s. martiatum.	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ hydrochloricum. .	Ammonium chloratum.
„ martiale.	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ muriaticum. . . .	Ammonium chloratum.
„ „ ferratum. .	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ „ hydrargyratum.	Hydrargyrum praecipitatum album.
„ „ martiatum. .	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ purum liquidum. .	Liquor Ammonii caustici.
„ sesquicarbonicum. .	Ammonium carbonicum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Ammonium solutum anisatum. .	Liquor Ammonii anisatus.
„ succinicum pyro-oleosum. .	„ Ammonii succinici.
Antimonium causticum. . . .	„ Stibii chlorati.
„ chloratum liquidum	„ Stibii chlorati.
„ crudum.	Stibium sulphuratum crudum.
„ diaphoreticum. . .	„ oxydatum.
„ oxydatum. . . .	„ oxydatum.
„ sulphuratum aurantiacum. .	„ sulphuratum aurantiacum.
„ „ nigrum. . .	„ sulphuratum nigrum.
„ „ praecipitatum.	„ sulphuratum rubeum.
„ „ rubrum. . .	„ sulphuratum rubeum.
„ tartarisatum. . .	Tartarus stibiatus.
Aqua Ammoniae causticae. . .	Liquor Ammonii causticus.
„ antihysterica Pragensis. .	Aqua Asae foetida composita.
„ apoplectica. . .	Spiritus aromaticus.
„ aromatica spirituosa. . .	Spiritus aromaticus.
„ benedicta Rulandi. . .	Vinum stibiatum.
„ Carbonatis Ammoniae. .	Liquor Ammonii carbonici.
„ carmelitana.	Spiritus aromaticus.
„ cephalica.	Aqua aromatica.
„ Cerasorum (amygdalata).	„ Amygdalarum amararum diluta.
„ Embryonum.	„ aromatica.
„ foetida Pragensis. . . .	„ Asae foetidae antihysterica.
„ fontana.	„ communis.
„ Goulardi.	„ Plumbi spirituosa.
„ laxativa (Viennensis). . .	Infusum Sennae compositum.
„ muriatica oxygenata. . .	Aqua Chlori.
„ Naphae (florum). . . .	„ Florum Aurantii.
„ oxymuriatica.	„ Chlori.
„ Potassae.	Liquor kali carbonici.
„ Rabelii.	Mixtura sulphurica acida.
„ Regis.	Acidum chloro-nitrosum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Aqua saturnina.	Aqua Plumbi.
„ vegeto mineralis (Goulardi).	„ Plumbi spirituosa.
„ vulneraria (acida) (Thedeni).	Mixtura vulneraria acida.
Aquila alba.	Hydrargyrum chloratum mite.
Arcanum duplicatum.	Kali sulphuricum.
„ tartarisatum. . . .	„ aceticum.
Argentum nitricum mitigatum. .	Argentum nitricum fusum cum Kali nitrico.
Argentum vivum.	Hydrargyrum.
Argyritis.	Lithargyrum.
Arsenicum album.	Acidum arsenicosum.
Asa dulcis.	Benzoë.
Aurum muriaticum (natronatum).	Auro-Natrium chloratum.
Axungia Porci.	Adeps suillus.
Baccae Ebuli.	Fructus Ebuli.
„ Juniperi.	„ Juniperi.
„ Lauri.	„ Lauri.
„ Mororum.	„ Mori.
„ Myrtillorum.	„ Myrtilli.
„ Rhamni catharticae. . .	„ Rhamni catharticae.
„ Rubi Idaei.	„ Rubi Idaei.
„ Sambuci.	„ Sambuci.
„ Spinae cervinae. . . .	„ Rhamni catharticae.
Balsamum Arcaei.	Unguentum Elemi.
„ Brasiliense.	Balsamum Copaivae.
„ Commendatoris. . .	Tinctura Benzoës composita.
„ embryonis.	Aqua aromatica.
„ mercuriale.	Unguentum Hydrargyri citrinum.
„ Nucistae. . . .	Ceratum Myristicae.
„ ophthalmicum rubrum.	Unguentum Hydrargyri rubrum.
„ Opodeldoc.	Linimentum saponato-camphoratum.
„ persicum.	Tinctura Benzoës composita.
„ saponaceum. . . .	Linimentum saponato-camphor.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Balsamum Saturni.	Liquor Plumbi subacetici.
„ Styracis.	Styrax liquidus.
„ Sulphuris.	Oleum Lini sulphuratum.
„ „ Rulandi. . .	„ Terebinthinae sulphuratum.
„ „ simplex. . .	„ Lini sulphuratum.
„ „ terebinthinatum.	„ Terebinthinae sulphuratum.
„ Terebinthinae. . . .	Sapo terebinthinatus.
„ traumaticum. . . .	Tinctura Benzoës composita.
„ Vitae externum. . .	Sapo terebinthinatus.
„ „ Hoffmanni. . .	Mixtura oleoso-balsamica.
Baryta muriatica.	Baryum chloratum.
Biboras natricus.	Borax.
Bicarbonas kalicus.	Kali bicarbonicum.
„ natricus. / „ Sodae.	Natrum bicarbonicum.
Bijodetum Hydrargyri. . . .	Hydrargyrum bijodatum rubrum.
Bichloretum Hydrargyri. . . .	„ bichloratum corrosivum.
Bisulphuretum Hydrargyri. . .	„ sulphuratum.
Bitartras kalicus.	Tartarus depuratus.
Bismuthum hydrico-nitricum. .	Bismuthum subnitricum.
Boletus igniarius.	Fungus igniarius praeparatus.
„ Laricis.	„ Laricis.
Bolus alba.	Argilla.
Boras natricus cum aqua. . .	Borax.
„ Sodae.	Borax.
„ tartarisatus.	Tartarus boraxatus.
Butyrum Antimonii.	Liquor Stibii chlorati.
„ Cacao.	Oleum Cacao.
„ Majoranae.	Unguentum Majoranae.
„ Zinci.	„ Zinci.
Cacao.	Semen Cacao.
Calcaria caustica.	Calcaria.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Calcaria chlorata.	Calcaria hypochlorosa.
„ muriatica.	Calcium chloratum.
„ oxymuriatica.	Calcaria hypochlorosa.
„ soluta.	Aqua Calcis.
„ sulphurata.	Calcium sulphuratum.
„ usta.	Calcaria.
Calomel.	Hydrargyrum chloratum mite.
Capita Papaveris.	Fructus Papaveris immaturi.
Capsicum.	„ Capsici.
Capsulae Anisi indici. / „ „ stellati.	„ Anisi stellati.
„ Papaveris.	„ Papaveris immaturi.
Carbo Carnis.	Carbo animalis.
„ Ligni. / „ praeparatus.	„ pulveratus.
„ Spongiae.	Spongiae tostae.
Carbonas Ammoniae alkalinus.	Ammonium carbonicum.
„ „ pyro-oleosus solutus.	Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosus.
„ „ solutus.	„ „ carbonici.
„ kalicus.	Kali carbonicum.
„ „ liquidus.	Liquor Kali carbonici.
„ Lixiviae.	Kali carbonicum.
„ Magnesiae.	Magnesia carbonica.
„ natricus.	Natrum carbonicum.
„ plumbicus.	Cerussa.
„ Sodae acidulus.	Natrum bicarbonicum.
Cassia Cinnamomea.	Cortex Cinnamomi Cassiae.
Castoreum Anglicum.	Castoreum Canadense.
„ Europaeum. / „ Russicum.	„ Sibiricum.
Cataplasma epipasticum.	Sinapismus.
„ ad decubitum.	Plumbum tannicum pultiforme.
Causticum antimoniacale.	Liquor Stibii chlorati.
Cera viridis.	Ceratum Aeruginis.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Cerasa acida.	Fructus Cerasi.
Ceratum album.	Ceratum Cetacei.
„ citrinum.	„ Picis.
„ fuscum.	Emplastrum fuscum.
„ Galeni.	Ceratum Cetacei.
„ labiale album. . . .	„ Cetacei.
„ „ rubrum. . . .	„ Cetacei rubrum.
„ Resinae Burgundicae. .	„ Picis.
„ Sabinae.	Unguentum Sabinae.
„ Saturni.	„ Plumbi.
„ simplex.	„ cereum.
„ viride.	Ceratum Aeruginis.
Charta antirrheumatica. „ antarthritica. } . . .	Charta resinosa.
Chloretum ammonico-ferricum.	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ Ammonii.	Ammonium chloratum.
„ Auri cum Chloretum Natrii. . . .	Auro-Natrium chloratum.
„ Baryi	Baryum chloratum.
„ Calcariae.	Calcium chloratum.
„ Ferri.	Ferrum sesquichloratum.
„ Hydrargyri.	Hydrargyrum chloratum mite.
„ „ cum Amido Hydrargyri. .	„ praecipitatum album.
„ Natrii.	Natrium chloratum.
„ stibicum liquidum. .	Liquor Stibii chlorati.
„ zincicum.	Zincum chloratum.
Chlorum liquidum seu solutum.	Aqua Chlori.
Cineres clavellati.	Kali carbonicum.
Cininum.	Santoninum.
Cinnamomum acutum.	Cortex Cinnamomi Zeylanici.
„ Indicum. „ Sinense. } . . .	„ „ Cassiae.
Citrea.	Fructus Citri.
Clavus secalinus.	Secale cornutum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Codia.	Fructus Papaveris immaturi.
Coeruleum Berolinense purum.	Ferrum cyanatum.
Cold-Cream (Anglorum).	Unguentum emolliens.
Colocynthides.	Fructus Colocynthidis.
Corpus pro Balsamo Sulphuris.	Oleum Lini sulphuratum.
Cortex Alni nigrae.	Cortex Frangulae.
„ Aurantii.	„ Fructus Aurantii.
„ Cassiae (Cinnamomeae). „ „ ligneae.	„ Cinnamomi Cassiae.
„ Chinae. „ „ Huanuco. „ „ officinalis.	„ Chinae fuscus.
„ „ regius.	„ Chinae Calisayae.
„ Cinnamomi (acuti).	„ Cinnamoni Zeylanici.
„ „ Sinensis.	„ Cinnamomi Cassiae.
„ Peruvianus.	„ Chinae fuscus.
„ Pomorum Aurantiorum.	„ Fructus Aurantii.
„ Rhamni Frangulae.	„ Frangulae.
Cremor Tartari.	Tartarus depuratus.
„ „ solubilis.	„ boraxatus.
Crocus Martis aperitivus.	Ferrum oxydatum.
Crystalli Tartari.	Tartarus depuratus.
Cupro-Ammonia sulphurica. Cuprum ammoniacale.	Cuprum sulphuricum ammoniatum.
Cyanetum ferroso-kalicum.	Ferro-Kalium cyanatum.
„ zincicum.	Zincum cyanatum.
Decoctum Salep.	Mucilago Salep.
„ Zittmanni forte (fortius).	Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.
„ „ mite (mitius).	„ Sarsaparill. comp. mitius.
Elaeosaccharum Vanillae.	Vanilla saccharata.
Electrum.	Succinum.
Electuarium aperiens. „ eccoproticum. „ lenitivum.	Electuarium e Senna.

Nomina

alias usitata.	in hoc libro usitata.
Elixir acidum Halleri.	Mixtura sulphurica acida.
„ ad longam vitam. . . .	Tinctura Aloës composita.
„ ammoniato-opiatum. . .	Elixir e Succo Glycyrrhizae.
„ balsamicum Hoffmanni. .	„ Aurantiorum compositum.
„ Jernitzii.	Tinctura Aloës composita.
„ Mynsichti.	„ aromatica acida.
„ paregoricum.	„ Opii benzoïca.
„ pectorale.	Elixir e Succo Glycyrrhizae.
„ Proprietatis (acidum). „ „ Paracelsi. .	Tinctura Aloës composita acida.
„ Rhei Darelii.	„ Rhei vinosa.
„ Ringelmanni.	Elixir e succo Glycyrrhizae.
„ roborans Whyttii. . . .	Tinctura Chinae composita.
„ stomachicum (Viennense).	„ amara.
„ Suecicum.	„ Aloës composita.
„ viscerale Hoffmanni. . .	Elixir Aurantiorum compositum.
„ Vitrioli Mynsichti. . . .	Tinctura aromatica acida.
Emetina.	Extractum Ipecacuanhae.
Emplastrum ad fonticulos. . .	Emplastrum ad Fontanellas.
„ adhaesivum Anglicum.	Taffetas adhaesivum.
„ „ „ nigrum.	Emplastrum adhaesivum.
„ album.	„ Cerussae.
„ Anglicum. . . .	Taffetas adhaesivum.
„ antihystericum. „ Asae foetidae et Ammoniaci.	Emplastrum foetidum.
„ Burgundicum. . .	„ Picis compositum.
„ camphoratum. . .	„ saponatum.
„ cephalicum. . . .	„ opiatum.
„ Cerae.	Ceratum Picis.
„ Cetacei.	„ Cetacei.
„ „ rubrum. .	„ Cetacei rubrum.
„ Cicutae.	Emplastrum Conii.
„ citrinum.	Ceratum Picis.
„ commune. . . .	Emplastrum Lithargyri simplex.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Emplastrum crocatum. . . .	Emplastrum oxycroceum.
„ cum gummi-resinis.	„ Lithargyri compositum.
„ Diachylon. . . .	„ Lithargyri.
„ Drouotti.	Taffetas vesicans.
„ epispasticum / „ Euphorbii. . .	Emplastrum Cantharidum perpetuum.
„ fuscum Ph. Bor., Austr., Hamb. .	Emplastrum fuscum camphoratum.
„ fuscum Ph. Hann., Würt., Bad. . .	„ oxycroceum.
„ Galbani rubrum Ph. Hass., Hamb. .	„ fuscum.
„ glutinosum.	Taffetas adhaesivum.
„ Janini.	Emplastrum Cantharidum perpetuum.
„ Matris Ph. Bad., Hann. . .	„ fuscum camphoratum.
„ „ fuscum Ph. Sax.	„ fuscum.
„ mercuriale.	„ Hydrargyri.
„ Mezerei cantharidatum. . . .	Taffetas vesicans.
„ Minii adustum Ph. Bor., Hass. / „ „ fuscum Ph. Hass.	Emplastrum fuscum.
„ miraculosum. . .	„ saponatum.
„ nigrum Ph. Bor., Austr. . . / „ Noricum Ph. Bor., Aust., Bav., Würt.	„ fuscum.
„ odontalgicum. . .	„ opiatum.
„ Picis.	„ Picis compositum.
„ Plumbi.	„ Lithargyri.
„ „ subcarbonici.	„ Cerussae.
„ resinosum. . . .	„ adhaesivum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Emplastrum resolvens (Schmuckeri). . . .	Emplastrum foetidum.
„ saponato - camphoratum. . .	„ saponatum.
„ Spermatis Ceti. .	Ceratum Cetacei.
„ stomachale. . . .	Emplastrum aromaticum.
„ universale. . . .	„ fuscum camphoratum.
„ vesicatorium Drouotti. . .	Taffetas vesicans.
„ „ Janini . .	Emplastrum Cantharidum perpetuum.
„ „ ordinarium.	„ Cantharidum ordinarium.
„ viride.	Ceratum Aeruginis.
Ergotinum.	Extractum Secalis cornuti.
Extractum Acori.	„ Calami.
„ catharticum. . . .	„ Colocynthidis compositum.
„ catholicum. . . .	„ Rhei compositum.
„ Cicutae.	„ Conii.
„ Daturae.	„ Stramonii.
„ Enulae.	„ Helenii.
„ Glycyrrhizae crudum s. venale.	Succus Glycyrrhizae crudus.
„ „ depuratum.	„ Glycyrrhizae depuratus.
„ haemostaticum. . .	Extractum Secalis cornuti.
„ Juniperi.	Succus Juniperi inspissatus.
„ Liquiritiae. . . .	Extractum Glycyrrhizae.
„ Martis pomatum. .	„ Ferri pomatum.
„ Meconii.	„ Opii.
„ Nucum vomicarum spirituosum. .	„ Strychni.
„ panchymagogum. .	„ Rhei compositum.
„ Rhamni Frangulae. .	„ Frangulae.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Extractum Santonici.	Extractum Cinae.
„ Saturni.	Liquor Plumbi subacetici.
„ Solani furiosi. . .	Extractum Belladonnae.
„ Thebaicum. . . .	„ Opii.
Fabae Cacao.	Semen Cacao.
Ferrum aceticum liquidum s. solutum .	Liquor Ferri acetici.
„ Borussicum.	Ferrum cyanatum.
„ chloratum solutum. . .	Liquor Ferri chlorati.
„ hydricum.	Ferrum oxydatum.
„ „ in aqua. . .	Antidotum Arsenici.
„ hydrocyanicum. . . .	Ferrum cyanatum.
„ hydrojodicum oxydulatum.	„ jodatum.
„ muriaticum oxydatum. .	„ sesquichloratum.
„ oxydatum hydratum liquidum. . .	Antidotum Arsenici.
„ „ hydricum in aqua. . .	Antidotum Arsenici.
„ oxydulatum nigrum. . .	Ferrum oxydulato-oxydatum.
Ferrum sesquichloratum liquidum seu solutum. .	Liquor Ferri sesquichlorati.
Ferrum zooticum.	Ferrum cyanatum.
Flavedo Citri.	Cortex Fructus Citri.
Flores Achilleae vulgaris. . .	Flores Millefolii.
„ Benzoës.	Acidum benzoïcum.
„ Brayerae (anthelminthicae).	Flores Kusso.
„ Macidis.	Macis.
„ Meliloti.	Herba Meliloti.
„ Naphae.	Flores Aurantii.
„ Papaveris Rhoeados. . .	„ Rhoeados.
„ salis Ammoniaci martiales.	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ Spicae.	Flores Lavandulae.
„ Sulphuris.	Sulphur sublimatum.
„ „ depurati. . .	„ depuratum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Flores Violarum.	Flores Violae.
„ viridis Aeris.	Cuprum aceticum.
„ Zinci.	Zincum oxydatum.
Folia Absinthii.	Herba Absinthii.
Ferrum oxydulatum lacticum. .	Ferrum lacticum.
Folia Anthos.	Folia Rosmarini.
„ Cicutae.	Herba Conii.
„ Cochleariae.	„ Cochleariae.
„ Majoranae.	„ Majoranae.
„ Rhois Toxicodendri. . .	Folia Toxicodendri.
„ Sabinae.	Summitates Sabinae.
„ Trifolii aquatici s. fibrini.	Folia Trifolii.
Formylum perchloratum. . . .	Chloroformium.
Fructus Illicii.	Fructus Anisi stellati.
„ Piperis Hispanici. . .	„ Capsici.
„ Tamarindi.	Pulpa Tamarindorum cruda.
Fucus Caragaheen.	Caragaheen.
„ crispus.	Caragaheen.
Fungus Chirurgorum.	Fungus igniarius.
Galbuli Juniperi.	Fructus Juniperi.
Gelatina Fuci crispi.	Gelatina Caragaheen.
Glandes Quercus.	Semen Quercus.
Globuli ferrati. „ martiales. „ Tartari ferruginosi. . .	Tartarus ferratus.
Gummi Acaciae.	Gummi Arabicum.
„ adstringens.	Kino.
„ Aloës.	Aloë.
„ Ammoniacum.	Ammoniacum.
„ Asae foetidae. . . .	Asa foetida.
„ Benzoës.	Benzoë.
„ Elemi.	Elemi.
„ Euphorbium.	Euphorbium.
„ Galbanum.	Galbanum.
„ Guajacum.	Resina Guajaci.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Gummi Guttae.	Gutti.
„ Kino.	Kino.
„ Mastichis.	Mastiche.
„ Mimosae.	Gummi Arabicum.
„ Myrrhae.	Myrrha.
„ Olibanum.	Olibanum.
„ resina Scammonii. . .	Resina Scammoniae.
„ Sandaraca.	Sandaraca.
„ Sanguinis Draconis. . .	Resina Draconis.
Guajacum (nativum).	„ Guajaci.
Hepar Sulphuris alkalinum. . .	Kalium sulphuratum.
„ „ calcareum. .	Calcium sulphuratum.
Herba Althaeae.	Folia Althaeae.
„ Anthos.	„ Rosmarini.
„ Atropae. / „ Belladonnae.	„ Belladonnae.
„ Botryos Mexicanae. . .	Herba Chenopodii ambrosioïdis.
„ Cannabis.	„ Cannabis Indicae.
„ Cardui benedicti. . . .	Folia Cardui benedicti.
„ Centaurii minoris. . . .	Herba Centaurii.
„ Centaureae benedictae. .	Folia Cardui benedicti.
„ Chelidonii majoris. . .	Herba Chelidonii.
„ Cicutae.	„ Conii.
„ Digitalis.	Folia Digitalis.
„ Daturae.	„ Stramonii.
„ Farfarae.	„ Farfarae.
„ Hyoscyami.	„ Hyoscyami.
„ Jaceae.	Herba Violae tricoloris.
„ Malvae.	Folia Malvae.
„ Melissae.	„ Melissae.
„ Menthae crispae. . . .	„ Menthae crispae.
„ „ piperitae. . .	„ Menthae piperitae.
„ Millefolii.	„ Millefolii.
„ Nicotianae.	„ Nicotianae.
„ Rhois Toxicodendri. . .	„ Toxicodendri.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Herba Rosmarini.	Folia Rosmarini.
„ Rutae.	„ Rutae.
„ Sabinae.	Summitates Sabinae.
„ Salviae.	Folia Salviae.
„ Solani furiosi.	„ Belladonnae.
„ „ maniaci.	„ Stramonii.
„ Stramonii.	„ Stramonii.
„ Tabaci.	„ Nicotianae.
„ Trifolii.	„ Trifolii.
„ Trinitatis.	Herba Violae tricoloris.
„ Tussilaginis.	Folia Farfarae.
„ Uvae Ursi.	„ Uvae Ursi.
Hydrargyrum amidato-bichloratum.	Hydrargyrum praecipitatum album.
„ ammoniato-muriaticum.	(Hydrargyrum praecipitatum album.)
„ ammoniato-nitricum basicum. .	„ praecipitatum nigrum.
„ antimoniato-sulphuratum. . .	„ et Stibium sulphurata.
„ bichloratum-ammoniatum. . .	„ praecipitatum album.
„ chloratum. . . .	„ chloratum mite.
„ „ corrosivum.	„ bichloratum corrosivum.
„ hydrojodicum oxydatum. .	„ bijodatum rubrum.
„ „ oxydulatum.	„ jodatum flavum.
„ jodatum.	(jodatum flavum.)
„ „ rubrum.	„ bijodatum rubrum.
„ muriaticum corrosivum. .	„ bichloratum corrosivum.
„ „ mite.	„ chloratum mite.
„ „ oxydulatum	(chloratum mite.)
„ nitricum. . . .	„ nitric. oxydulatum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Hydrargyrum nitricum ammoniacatum. .	Hydrargyrum praecipitatum nigrum.
„ „ oxydul. liquidum solutum. . .	Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati.
„ oxydulatum Hahnemanni.	Hydrargyrum praecipitat. nigrum.
„ „ nigrum.	
„ perchloratum. .	„ bichloratum corrosivum.
„ perjodatum. . .	„ bijodatum rubrum.
„ subjodatum. . .	„ jodatum flavum.
„ stibiato - sulphuratum.	„ et Stibium sulphurata.
„ sulphurato - antimoniatum.	
„ sulphurato - stibiatum.	
Hyperoxydum Mangani nativi.	Manganum hyperoxydatum.
Indigo.	Indicum.
Infusum laxativum (Viennense).	Infusum Sennae compositum.
„ Picis empyreumaticae liquidae. . .	Aqua Picis.
„ Rhei cum Natro carbonico.	Tinctura Rhei aquosa.
„ „ kalinum.	
„ Salep.	Mucilago Salep.
„ Sennae (cum Manna). .	Infusum Sennae compositum.
Jodetum ferrosum.	Ferrum jodatum.
„ hydrargyricum. . . .	Hydrargyrum bijodatum rubrum.
„ hydrargyrosum. . . .	„ jodatum flavum.
„ Kalii.	Kalium jodatum.
Joduretum plumbicum. . . .	Plumbum jodatum.
„ potassicum. . . .	Kalium jodatum.
„ Sulphuris.	Sulphur jodatum.
Kali aceticum liquidum s. solutum.	Liquor Kali acetici.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Kali antimoniato-tartaricum. .	Tartarus stibiatus.
„ arsenicosum solutum. . .	Liquor Kali arsenicosi.
„ Borussicum.	Ferro-Kalium cyanatum.
„ carbonicum acidulum. . .	Kali bicarbonicum.
„ „ e cineribus clavellatis. . .	„ carbonicum crudum.
„ „ e Tartaro. . . .	„ carbonicum purum.
„ „ liquidum s. solutum.	Liquor Kali carbonici.
„ „ neutrale s. saturatum. . .	Kali bicarbonicum.
„ causticum liquidum seu solutum. .	Liquor Kali caustici.
„ chromicum rubr. s. acidum.	Kali bichromicum.
„ crudum.	„ carbonicum crudum.
„ et Natrum boraxato-tartaricum. .	Tartarus boraxatus.
„ ferrato-tartaricum. . . .	„ ferratus.
„ ferro-borussicum. „ ferro-hydrocyanicum. . .	Ferro-Kalium cyanatum.
„ hydricum.	Kali causticum.
„ „ liquidum s. solutum.	Liquor Kali caustici.
„ hydrocyanicum.	Ferro-Kalium cyanatum.
„ hydrojodicum s. hydrojodinicum. .	Kalium jodatum.
„ muriaticum oxygenatum. .	Kali chloricum.
„ natronato-tartaricum. . .	Tartarus natronatus.
„ oxymuriaticum.	Kali chloricum.
„ stibiato-tartaricum. . . .	Tartarus stibiatus.
„ subcarbonicum.	Kali carbonicum.
„ tartaricum acidum. . . .	Tartarus depuratus.
„ zooticum.	Ferro-Kalium cyanatum.
Kermes minerale.	Stibium sulphuratum rubeum.
Kreosotum solutum.	Aqua Kreosoti.
Kusso.	Flores Kusso.
Lac Sulphuris.	Sulphur praecipitatum.

Nomina alias usitata.	in hoc libro usitata.
Lapis causticus (Chirurgorum). .	Kali causticum fusum.
„ divinus (St. Yvesii). . .	Cuprum aluminatum.
„ infernalis.	Argentum nitricum fusum.
„ ophthalmicus (St. Yvesii).	Cuprum aluminatum.
„ Pumicis.	Pumex.
„ spurius.	Manganum hyperoxydatum.
Laudanum.	Opium.
„ liquidum (Sydenhami).	Tinctura Opii crocata.
Lichen Caragaheen. / „ Irlandicus.	Caragaheen.
Lignum benedictum. / „ Indicum. / „ sanctum. . . .	Lignum Guajaci.
Limatura Martis.	Ferrum limatum.
Linimentum Aeruginis. . . .	Oxymel Aeruginis.
„ phosphoratum. . .	Oleum phosphoratum.
„ Saponis compositum.	Linimentum saponato-camphoratum.
„ volatile.	„ ammoniatum.
„ „ camphoratum.	„ „ camphoratum.
Liquor acidus Halleri. . . .	Mixtura sulphurica acida.
„ ad serum lactis parandum.	Liquor seriparus.
„ Ammoniae.	„ Ammonii caustici.
„ „ caustici Dzondii.	„ „ „ spirituosus.
„ „ purus.	„ „ caustici.
„ anodynus.	Spiritus aethereus.
„ „ martialis. . .	Tinctura Ferri chlorati aetherea.
„ „ mineralis Hoffm.	Spiritus aethereus.
„ Antimonii chlorati. . .	Liquor Stibii chlorati.
„ antipyreticus Fowleri. / „ arsenicalis (Fowleri). / „ Arsenici kalinus.	„ Kali arsenicosi.
„ Bellostii.	Liquor Hydrarg. nitrici oxydulati.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Liquor Calcis.	Aqua Calcis.
„ Chlori.	„ Chlori.
„ Cornu Cervi.	Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.
„ Ferri hydrico-oxydati.	Antidotum Arsenici.
„ „ muriatici. . . .	Liquor Ferri chlorati.
„ Hydrarg. bichlorati corrosivi cum Calcaria usta.	Aqua phagedaenica.
„ Kali hydrici s. puri. .	Liquor Kali caustici.
„ Mercurii nitrosi. . . .	„ Hydrargyri nitrici oxydulati.
„ Mindereri.	„ Ammonii acetici.
„ Natri hydrici s. puri. .	„ Natri caustici.
„ Nitratis hydrargyrici. .	„ Hydrargyri nitrici oxydulati.
„ Plumbi acetici (basici.) / „ „ hydrico-acetici.	„ Plumbi subacetici.
„ Potassae. / „ Salis Tartari. . . .	„ Kali carbonici.
„ Stibii muriatici. . . .	„ Stibii chlorati.
„ Subacetatis plumbici. .	„ Plumbi subacetici.
„ Subbichloreti Ferri. . .	„ Ferri chlorati.
„ SubcarbonatisAmmoniae.	„ Ammonii carbonici.
„ Terrae foliatae Tartari.	„ Kali acetici.
„ vulnerarius Thedeni. .	Mixtura vulneraria acida.
Luna.	Argentum.
Lupulinum.	Glandulae Lupuli.
Magisterium Bismuthi. / „ Marcasitae. . .	Bismuthum subnitricum.
„ Sulphuris. . . .	Sulphur praecipitatum.
Magnesia alba. / „ Anglica. . . .	Magnesia carbonica.
„ calcinata.	„ usta.
„ hydrico-carbonica. / „ Muriae.	„ carbonica.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Magnesia pura.	Magnesia usta.
„ Salis amari. / „ subcarbonica. . . .	„ carbonica.
Magnesium oxydatum.	„ usta.
Manganesium hyperoxydatum. / Manganum (oxydat.) nativum. / „ superoxydatum.	Manganum hyperoxydatum.
Marcasita.	Bismuthum.
„ alba.	„ subnitricum.
Mars.	Ferrum.
Meconium.	Opium.
Mel despumatum.	Mel depuratum.
„ Liquiritiae.	Syrupus Glycyrrhizae.
„ Rosae.	Mel rosatum.
Mercurius calcinatus ruber. . .	Hydrargyrum oxydatum rubrum.
„ cosmeticus.	„ praecipitatum album.
„ depuratus.	„ depuratum.
„ dulcis.	„ chloratum mite.
„ hydrojodinicus flavus.	„ jodatum flavum.
„ „ ruber.	„ bijodatum rubrum.
„ jodatus flavus s. viridis.	„ jodatum flavum.
„ „ ruber. . . .	„ bijodatum rubrum.
„ nitrosus.	„ nitricum oxydulatum.
„ praecipitatus albus. .	„ praecipitatum album.
„ „ ruber. .	„ oxydatum rubrum.
„ solubilis Hahnemanni.	„ praecipitatum nigrum.
„ sublimatus corrosivus.	„ bichloratum corrosivum.
„ sulphuratus ruber. .	Cinnabaris.
„ vivus.	Hydrargyrum.
Mucilago Gummi Mimosae. . .	Mucilago Gummi Arabici.

Nomina alias usitata.	in hoc libro usitata.
Muscus Caragaheen.	Caragaheen.
Murias Ammoniae.	Ammonium chloratum.
„ aurico-natricus. . . .	Auro-Natrium chloratum.
„ Barytae.	Baryum chloratum.
„ Calcis.	Calcium chloratum.
„ Ferri ammoniacalis. . .	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ Hydrargyri corrosivus. .	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
„ „ mitis. . .	„ chloratum mite.
„ Morphii.	Morphinum hydrochloratum.
„ Sodae.	Natrium chloratum.
„ stibiosus.	Liquor Stibii chlorati.
„ Zinci.	Zincum muriaticum.
Naphtha Aceti. „ vegetabilis.	Aether aceticus.
„ Vitrioli.	Aether.
Natrum biboracicum. „ boracicum. . . .	Borax.
„ carbonicum acidulum. „ „ neutrum s. saturatum.	Natrum bicarbonicum.
„ hydricum solutum. . .	Liquor Natri caustici.
„ hydrochloricum. „ muriaticum. . .	Natrium chloratum.
„ subcarbonicum. . . .	Natrum carbonicum.
Nitras Argenti.	Argentum nitricum.
„ ammonicus cum Oxydo hydrargyroso. .	Hydrargyrum praecipitatum nigrum.
„ hydrargyrosus.	„ nitricum oxydulatum.
„ kalicus.	Kali nitricum.
„ natricus.	Natrum nitricum.
„ Potassae.	Kali nitricum.
„ Sodae.	Natrum nitricum.
„ strychnicus.	Strychnium nitricum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Nitrum.	Kali nitricum.
„ Chilense, cubicum seu prismaticum. .	Natrum nitricum.
„ rhomboidale.	Kali nitricum.
Nuces moschatae.	Semen Myristicae.
„ Quercus.	„ Quercus.
„ vomicae.	„ Strychni.
Nuclei Cacao.	„ Cacao.
Oculi Populi.	Gemmae Populi.
Oleum animale crudum. . . .	Oleum animale foetidum.
„ Antimonii.	Liquor Stibii chlorati.
„ Cacao unguinosum. . .	Oleum Cacao.
„ cadinum.	„ Juniperi empyreumaticum.
„ Castoris.	„ Ricini.
„ Cornu Cervi.	„ animale foetidum.
„ Filicis.	Extractum Filicis.
„ granorum Tiglii. . . .	Oleum Crotonis.
„ Harlemmense.	„ Terebinthinae sulphurat.
„ laurinum unguinosum. .	„ Lauri.
„ Martis.	Liquor Ferri sesquichlorati.
„ Neroli.	Oleum Florum Aurantii.
„ Nucum moschatarum expressum. .	„ Myristicae.
„ Palmae Christi. . . .	„ Ricini.
„ Petrae.	Petroleum.
„ Plumbi. } „ Saturni. }	Liquor Plumbi subacetici.
„ Tartari per deliquium. .	„ Kali carbonici.
„ Terrae.	Petroleum.
„ Tiglii.	Oleum Crotonis.
„ Vitrioli.	Acidum sulphuricum.
Opium colatum.	Extractum Opii.
Opodeldoc.	Linimentum saponato-camphoratum.
„ liquidum.	Linim. sapon.-camph. liquidum.

Nomina alias usitata.	in hoc libro usitata.
Oxydum Aluminis.	Argilla.
„ Arsenici albi.	Acidum arsenicosum.
„ Calcis.	Calcaria.
„ ferroso-ferricum.	Ferrum oxydulato-oxydatum.
„ hydrargyricum.	Hydrargyrum oxydatum rubrum.
„ magnesicum.	Magnesia usta.
„ Plumbi semivitreatum.	Lithargyrum.
„ „ rubrum.	Minium.
„ stibicum.	Stibium oxydatum.
„ Stibii hydrosulphuratum aurantiacum.	„ sulphuratum aurantiacum.
„ „ rubrum.	„ sulphuratum rubeum.
„ Zinci.	Zincum oxydatum.
Oxytartarus.	Kali aceticum.
Panacea mercurialis.	Hydrargyrum chloratum mite.
Paraguay-Roux Gallorum.	Tinctura Spilanthis composita.
Paratrimna ad decubitum.	Plumbum tannicum pultiforme.
Pasta Althaeae.	Pasta gummosa.
„ epipastica.	Sinapismus.
„ Liquiritiae (flava).	Pasta Glycyrrhizae.
Pastilles de Vichy. Pastilli alkalini digestivi. „ natronati.	Trochisci Natri bicarbonici.
„ Santonini.	„ Santonini.
Phosphas ferrosus.	Ferrum phosphoricum.
„ natricus. „ Sodae.	Natrum phosphoricum.
Pigmentum Indicum.	Indicum.
Pilulae Italicae nigrae.	Pilulae aloëticae ferratae.
„ purgantes.	„ Jalapae.
Piper caudatum.	Cubebae.
„ Cayennense. „ Hispanicum (Indicum, Turcicum.	Fructus Capsici.
Pix atra solida.	Pix nigra.

Nomina

alias usitata.	in hoc libro usitata.
Pix Burgundica.	Pix alba.
„ Colophonia.	Colophonium.
„ flava.	Pix alba.
„ navalis.	„ nigra.
Plumbago.	Graphites.
Plumbum aceticum basicum solutum. .	Liquor Plumbi subacetici.
„ „ „ dilutum.	Aqua Plumbi.
„ carbonicum.	Cerussa.
„ e tertia parte aceticum liquidum.	Liquor Plumbi subacetici.
„ hydrico-acet. solutum.	Liquor Plumbi subacetici.
„ hyperoxydat. rubrum.	Minium.
„ hyperoxydulatum.	Minium.
„ oxydatum fuscum. .	Lithargyrum.
„ „ semivitrificat.	Lithargyrum.
„ scytodephicum. . . .	Plumbum tannicum pultiforme.
„ subaceticum liquidum.	Liquor Plumbi subacetici.
„ subcarbonicum. . .	Cerussa.
„ tannicum.	Plumbum tannicum pultiforme.
Poma acidula.	Fructus Mali.
„ Aurantii immatura. . .	„ Aurantii immaturi.
„ Citri.	„ Citri.
„ Colocynthidis.	„ Colocynthidis.
Potassa.	Kali carbonicum.
„ depurata.	„ „ depuratum.
„ fusa.	„ causticum fusum.
Potio laxans (Viennensis). . .	Infusum Sennae compositum.
„ purgans.	Infusum Sennae compositum.
Pulpa Sambuci.	Succus Sambuci.
„ Tamarindorum.	Pulpa Tamarindorum depurata.
Pulvis aërophorus e Natro bicarbonico.	Pulvis aërophorus.
„ „ Seidlitzensis.	„ „ laxans.
„ alexiterius Doweri. . .	Pulvis Ipecacuanhae opiatus

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Pulvis anodynus Doweri. . .	Pulvis Ipecacuanhae opiatus.
„ Carthusianorum. . . .	Stibium sulphuratum rubeum.
„ Colocynthidum gummosus.	Fructus Colocynthidis praep.
„ diaphoreticus Doweri.	Pulvis Ipecacuanhae opiatus.
„ diapnoicus Doweri.	
„ Diatragacanthae. . . .	„ gummosus.
„ Doweri.	„ Ipecacuanhae opiatus.
„ emolliens.	Species emollientes.
„ Ferri alcoholisatus. . .	Ferrum pulveratum.
„ infantum.	Pulvis Magnesiae cum Rheo.
„ Ipecacuanhae compositus.	„ Ipecacuanhae opiatus.
„ „ cum Opio.	
„ Liquiritiae compositus. .	„ Glycyrrhizae compositus.
„ Lycopodii.	Lycopodium.
„ pectoralis (Kurellae) . .	Pulvis Glycyrrhizae compositus.
„ Rhei compositus. . . .	„ Magnesiae cum Rheo.
Quininum.	Chininum.
Radix Aconiti.	Tubera Aconiti.
„ Acori.	Rhizoma Calami.
„ Anchusae rubrae. . . .	Radix Alkannae.
„ Archangelicae.	„ Angelicae.
„ Asari.	Rhizoma Asari.
„ Calami.	„ Calami.
„ Cardopatiae.	Radix Carlinae.
„ Caricis arenariae. . . .	Rhizoma Caricis.
„ Chinae (nodosae) (orient.)	„ Chinae.
„ Curcumae.	„ Curcumae.
„ Enulae.	Radix Helenii.
„ Filicis.	Rhizoma Filicis.
„ Galangae.	„ Galangae.
„ Gei urbani.	Radix Caryophyllatae.
„ Graminis.	Rhizoma Graminis.
„ „ rubri. . . .	„ Caricis.
„ Hellebori albi.	„ Veratri.
„ Jalapae.	Tubera Jalapae.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Radix Imperatoriae.	Rhizoma Imperatoriae.
„ Inulae.	Radix Helenii.
„ Iridis (Ireos) Florentinae.	Rhizoma Iridis.
„ Juniperi.	Lignum Juniperi,
„ Leontodontis.	Radix Taraxaci.
„ Ligustici.	„ Levistici.
„ Liquiritiae.	„ Glycyrrhizae.
„ Mechoacannae nigrae. .	Tubera Jalapae.
„ Napelli.	„ Aconiti.
„ Ostruthii.	Rhizoma Imperatoriae.
„ Rhabarberi.	Radix Rhei.
„ Salep.	Tubera Salep.
„ Sarsae.	Radix Sarsaparillae.
„ Sarsaparillae Germanicae.	Rhizoma Caricis.
„ Sassafras.	Lignum Sassafras.
„ Scillae.	Bulbus Scillae.
„ Tormentillae.	Rhizoma Tormentillae.
„ Veratri albae.	„ Veratri.
„ Zedoariae.	„ Zedoariae.
„ Zingiberis.	„ Zingiberis.
Resina alba.	Pix alba.
„ Burgundica.	Pix alba.
„ communis.	Pix alba.
„ Euphorbium.	Euphorbium.
„ flava.	Pix alba.
„ fusca.	Pix alba.
„ Juniperi.	Olibanum.
„ lentiscina.	Mastiche.
„ Pini Burgundica. . . .	Pix alba.
Roob antisyphiliticum (Boyveau) Laffecteur.	Syrupus Sarsaparillae compositus.
„ Dauci.	Succus Dauci.
„ Ebuli.	„ Ebuli.
„ Juniperi.	„ Juniperi.
„ Sambuci.	„ Sambuci.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Roob Tamarindorum.	Pulpa Tamarindorum dep.
Saccharum Saturni.	Plumbum aceticum.
Sal acidum seu essentiale Benzoës.	Acidum benzoicum.
„ Alkali minerale.	Natrum carbonicum.
„ „ vegetabile.	Kali carbonicum.
„ „ volatile.	Ammonium carbonicum.
„ amarum.	Magnesia sulphurica.
„ ammoniacum.	Ammonium chloratum.
„ „ martiatum. . .	Ferrum et Ammonium chloratum.
„ Anglicum.	Magnesia sulphurica.
„ commune.	Natrium chloratum.
„ Ebstomense.	Magnesia sulphurica.
„ essentiale Tartari.	Acidum tartaricum.
„ Gemmae.	Natrium chloratum.
„ Glauberi.	Natrum sulphuricum.
„ marinum.	Natrium chloratum.
„ mirabile Glauberi (s. perlatum.)	Natrum sulphuricum.
„ polychrestum Glaseri. . . .	Kali sulphuricum.
„ „ Seignetti. . .	Tartarus natronatus.
„ Saidschuetzense.	Magnesia sulphurica.
„ Sodae.	Natrum carbonicum.
„ Succini (volatile.)	Acidum succinicum.
„ Tartari.	Kali carbonicum.
„ volatile Cornu Cervi. „ „ salis Ammoniaci.	Ammonium carbonicum.
Sanguis Draconis.	Resina Draconis.
Sapo albus Ph. Austr. . . .	Sapo domesticus.
„ „ seu durus Ph. Bad. „ Alicantinus.	„ oleaceus.
„ Ammoniae.	Linimentum ammoniatum.
„ ammoniaco-camphoratus.	„ ammoniato-camphoratum.
„ domesticus mollis s. viridis.	Sapo viridis.
„ Hispanicus (albus.) . . .	„ oleaceus.
„ kalinus.	„ viridis.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Sapo Massiliensis.	Sapo oleaceus.
„ niger.	„ viridis.
„ Sebi.	„ domesticus.
„ Venetus (albus)	„ oleaceus.
Scammonium.	Resina Scammonii.
Secale corniculare.	Secale cornutum.
Seidlitz Powder Anglorum. . .	Pulvis aërophorus Anglicus.
Semen Anisi stellati.	Fructus Anisi stellati.
„ „ vulgaris.	„ „ vulgaris.
„ Badiani.	„ „ stellati.
„ Cannabis.	„ Cannabis.
„ Cardamomi minoris. . .	„ Cardamomi.
„ Cardui Mariae. . . .	„ Cardui Mariae.
„ Carvi.	„ Carvi.
„ Cinae. / „ Contra. }	Flores Cinae.
„ Coriandri.	Fructus Coriandri.
„ Cydoniorum.	Semen Cydoniae.
„ Daturae.	„ Stramonii.
„ Foeniculi aquatici s. caballini. .	Fructus Phellandrii.
„ „ dulcis s. vulgaris.	„ Foeniculi.
„ Foeni Graeci.	Semen Feni Graeci.
„ Lycopodii.	Lycopodium.
„ Petroselini.	Fructus Petroselini.
„ Phellandrii.	„ Phellandrii.
„ Sabadillae.	„ Sabadillae.
„ Santonici.	Flores Cinae.
„ Solani maniaci. . . .	Semen Stramonii.
Serum Lactis commune. / „ „ dulce. } . .	Serum Lactis.
Sericum Anglicum.	Taffetas Anglicum.
„ vesicatorium.	„ vesicans.
Siliqua dulcis.	Fructus Ceratoniae.
„ Vanillae.	„ Vanillae.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Soda (crystallisata).	Natrum carbonicum.
„ phosphorata (phosphorica).	„ phosphoricum.
„ Powder Anglorum. . . .	Pulvis aërophorus Anglicus.
„ vitriolata.	Natrum sulphuricum.
Sol.	Aurum.
Solutio arsenicalis (Fowleri). .	Liquor Kali arsenicosi.
„ gummosa.	Mucilago Gummi Arabici.
„ mineralis.	Liquor Kali arsenicosi.
„ subacetatis plumbici. .	„ Plumbi subacetici.
„ subcarbonatis Ammoniae aquosa. .	„ Ammonii carbonici.
„ subcarbonatis kalici. . .	„ Kali carbonici.
Species ad Cataplasma. . . .	Species emollientes.
„ „ Decoctum Lignorum.	„ Lignorum.
„ „ Infusum pectorale. .	„ pectorales.
„ „ cephalicae.	„ aromaticae.
„ Diatragacanthae. . .	Pulvis gummosus.
„ discutientes.	Species resolventes.
„ laxantes St. Germain. .	„ laxantes.
„ mundificantes. . . .	„ Lignorum.
„ nervinae.	„ aromaticae.
„ pro Cataplasmate. . .	„ emollientes.
„ „ Cucupha.	„ aromaticae.
„ resolventes externae. .	„ resolventes.
„ „ Ph. Austr. .	„ aromaticae.
„ St. Germain.	„ laxantes.
Spiritus Aceti.	Acidum aceticum.
„ aethereus sulphuricus. .	Spiritus aethereus.
„ Aetheris ferrati. . . .	Tinctura Ferri chlorati aetherea.
„ „ sulphurici. . .	Spiritus aethereus.
„ Ammon. caustici Dzondii.	Liquor Ammonii caustici spirituosus.
„ Anthos.	Spiritus Rosmarini.
„ aromaticus Ph. Austr. .	Aqua aromatica.
„ „ Würtemb. .	Spiritus aromaticus.

24 *

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Spiritus Carmelitarum. . . .	Spiritus aromaticus.
„ chlorato-aethereus. . .	„ Aetheris chlorati.
„ Cornu Cervi rectificatus.	Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.
„ „ „ succinatus.	„ Ammonii succinici.
„ Ferri chlorati aethereus.	Tinctura Ferri chlorati aetherea.
„ Melissae compositus. .	Spiritus aromaticus.
„ Mindereri.	Liquor Ammonii acetici.
„ muriatico-aethereus. .	Spiritus Aetheris chlorati.
„ Nitri acidus.	Acidum nitricum.
„ „ dulcis. } . .	Spiritus Aetheris nitrosi.
„ nitrico-aethereus. }	
„ Salis acidus.	Acidum hydrochloratum.
„ „ Ammon. anisatus. .	Liquor Ammonii anisatus.
„ „ „ aquosus seu causticus. .	„ „ causticus.
„ „ „ Dzondii. .	„ „ „ spirituosus.
„ „ dulcis.	Spiritus Aetheris chloratus.
„ „ fumans.	Acidum hydrochloratum fumans.
„ saponato-camphoratus. .	Linimentum saponato-camphorat.
„ sulphurico-aethereus. .	Spiritus aethereus.
„ theriacalis.	Spiritus Angelicae compositus.
„ Vini.	Spiritus.
„ „ camphoratus. . .	„ camphoratus.
„ „ chlorato-aethereus.	„ Aetheris chlorati.
„ „ nitroso-aethereus.	„ „ nitrosi.
„ „ rectificatissimus .	„
„ „ rectificatus. . . .	„ dilutus.
„ „ saponatus. . . .	„ saponatus.
„ Vitrioli.	Acidum sulphuricum.
„ „ dulcis.	Spiritus aethereus.
Stannum Indicum.	Zincum.
Stibio-tartras kalicus.	Tartarus stibiatus.
Stibium chlorat. liq. s. solutum.	Liquor Stibii chlorati.

Nomina alias usitata.	in hoc libro usitata.
Stibium sulphuratum cum Stibio oxydato.	Stibium sulphuratum rubeum.
Storax liquidus.	Styrax liquidus.
Strobuli Lupuli.	Fructus Lupuli.
Succus Catechu.	Catechu.
„ Liquiritiae.	Succus Glycyrrhizae.
Subbisulphuretum Stibii. . . .	Stibium sulphurat. aurantiacum.
Subboras natricus seu Sodae. .	Borax.
Subchloris calcicus.	Calcaria hypochlorosa.
Submurias Hydrargyri. . . .	Hydrargyrum muriaticum mite.
Subnitras Bismuthi.	Bismuthum subnitricum.
Sulphas Aluminae et Potassae. .	Alumen.
„ atropinicus.	Atropium sulphuricum.
„ bichinicus.	Chininum sulphuricum.
„ bicinchonicus. . . .	Cinchoninum sulphuricum.
„ chinicus.	Chininum sulphuricum.
„ cinchonicus.	Cinchoninum sulphuricum.
„ Cupri ammoniacalis. .	Cuprum sulphurico ammoniatum.
„ cupricus crystallisatus.	„ sulphuricum.
„ ferrosus cum Aqua. .	Ferrum sulphuricum.
„ Kali.	Kali sulphuricum.
„ kalico-aluminicus. . .	Alumen.
„ kalicus neuter. . . .	Kali sulphuricum.
„ Magnesiae.	Magnesia sulphurica.
„ natricus.	Natrum sulphuricum.
„ Potassae.	Kali sulphuricum.
„ Sodae.	Natrum sulphuricum.
„ Zinci.	Zincum sulphuricum.
Sulphidum Carbonei.	Carboneum sulphuratum.
„ stibicum.	Stibium sulphurat. aurantiacum.
Sulphur Antimonii auratum. . .	„ „ aurantiacum.
„ depurat. Ph. Hamb. Sax.	Sulphur sublimatum.
„ „ lotum. . . .	„ depuratum.
„ stibiatum aurantiacum. .	Stibium sulphurat. aurantiacum.
„ „ rubeum. . .	„ „ rubeum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Sulphur sublimatum depuratum. / „ „ lotum.	Sulphur depuratum.
Sulphuretum Antimonii. . . .	Stibium sulphuratum.
„ Calcii.	Calcium sulphuratum.
„ Ferri.	Ferrum sulphuratum.
„ Hydrargyri nigrum.	Hydrargyrum sulphurat. nigrum.
„ „ stibiatum.	„ et Stibium sulphuratum.
„ Kalii. / „ Potassae. . . .	Kalium sulphuratum.
„ Stibii nigrum. . .	Stibium sulphuratum nigrum.
„ „ rubeum. . .	„ „ rubeum.
Syrupus Acetositatis Citri. . .	Syrupus Citri.
„ albus.	„ simplex.
„ antisyphiliticus. . . .	„ Sarsaparillae compositus.
„ Aurantiorum.	„ Corticis Aurantii.
„ balsamicus.	„ Balsami Peruviani.
„ Capillorum Veneris. .	„ Florum Aurantii.
„ Capitum Papaveris. .	„ Papaveris.
„ culinaris depuratus. .	„ communis.
„ Diacodii.	„ Papaveris.
„ domesticus.	„ Rhamni catharticae.
„ emulsivus.	„ Amygdalarum.
„ Florum Naphae. . .	„ Florum Aurantii.
„ Hollandicus.	„ communis.
„ Liquiritiae.	„ Glycyrrhizae.
„ Mannae (compositus). .	„ Sennae cum Manna.
„ Papaveris Ph. Hamb. / „ „ Rhoeados.	„ Rhoeados.
„ Rhabarberi.	„ Rhei.
„ Rosarum.	Mel rosatum.
„ Sacchari (albi). . . .	Syrupus simplex.
„ Spinae cervinae. . . .	„ Rhamni catharticae.
„ Succi Citri.	„ Citri.
Taffetas Anglicum.	Taffetas adhaesivum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Tamarindi.	Pulpa Tamarindorum cruda.
Tanninum.	Acidum tannicum.
Tartarus acetatus.	Kali aceticum.
„ antimonialis.	Tartarus stibiatus.
„ chalybeatus.	„ ferratus.
„ emeticus.	„ stibiatus.
„ ferruginosus (s. martiat.)	„ ferratus.
„ tartarisatus.	Kali tartaricum.
„ vitriolatus.	„ sulphuricum.
Tartras kalico-ferricus. . . .	Tartarus ferratus.
„ kalico-natricus. . . .	„ natronatus.
„ kalicus. „ Potassae. }	Kali tartaricum.
„ stibico-kalicus. . . .	Tartarus stibiatus.
Tela serica epipastica s. vesicat.	Taffetas vesicans.
Terebinthina communis. . . .	Terebinthina.
„ Veneta.	„ Laricis.
Terra Aluminis.	Argilla.
„ Catechu.	Catechu.
„ foliata Tartari crystallis.	Natrum aceticum.
„ Japonica.	Catechu.
„ ponderosa salita. . . .	Baryum chloratum.
Thus.	Olibanum.
Tinctura anodyna officinalis seu simplex. .	Tinctura Opii simplex.
„ arsenicalis.	Liquor Kali arsenicosi.
„ balsamica.	Tinctura Benzoës composita.
„ Camphorae.	Spiritus camphoratus.
„ Castorei.	Tinctura Castorei Sibirici.
„ „ Anglici. . .	„ „ Canadensis.
„ „ Moscovitici. .	„ „ Sibirici.
„ Cinnamomi acuti. . .	„ Cinnamomi.
„ composita Whyttii. .	„ Chinae composita.
„ Ferri acetici Klaprothi.	„ Ferri acetici aetherea.
„ „ muriatici (oxydul.)	„ „ chlorati.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Tinct. Ferri tonico-nerv. Bestusch.	Tinctura Ferri chlorati aetherea.
Tinctura Guajaci volatilis. . .	„ Guajaci ammoniata.
„ Klaprothi.	„ Ferri acetici aetherea.
„ Martis aperitiva. . .	„ „ pomati.
„ Meconii.	„ Opii simplex.
„ nerv. (tonica) Bestusch.	„ Ferri chlorati aetherea.
„ Nucis vomicae. . . .	„ Strychni.
„ Opii. / „ „ Eccardii. . . .	„ Opii simplex.
„ Piperis Hispanici. . .	„ Capsici.
„ Resinae Guajaci. . .	„ Guajaci.
„ Rhabarberi aquosa. .	„ Rhei aquosa.
„ Rhei dulcis. / „ „ (vinosa) Darellii.	„ „ vinosa.
„ Rhois Toxicodendri. .	„ Toxicodendri.
„ roborans Whyttii. . .	„ Chinae composita.
„ stomachica Ph. Austr.	„ amara.
„ Thebaica.	„ Opii.
„ tonico-nerv. Bestusch.	„ Ferri chlorati aetherea.
Trochisci alkalini digestivi. . .	Trochisci Natri bicarbonici.
„ Alhandal.	Fructus Colocynthidis praeparati.
„ contra Vermes. . . .	Trochisci Santonini.
„ digestivi. / „ Natri carbonici aciduli.	„ Natri bicarbonici.
Turiones Pini.	Gemmae Pini.
Unguentum ad decubitum (Autenrithii. . .	Plumbum tannicum pultiforme.
„ ad scabiem Werlhofii. / „ „ „ Zelleri.	Unguentum Hydrargyri album.
„ Aegyptiacum. . . .	Oxymel Aeruginis.
„ album camphoratum.	Unguentum Cerussae camphorat.
„ „ simplex.	„ Cerussae.
„ Althaeae.	„ flavum.
„ aromaticum. . . .	„ Rosmarini.
„ Autenrithii.	Plumbum aceticum pultiforme.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Unguentum cereum Curcumae. „ citrinum.	Unguentum flavum.
„ de Nihilo.	„ Zinci.
„ digestivum. . . .	„ terebinthinatum.
„ emolliens Ph. Hann.	„ cereum.
„ epipasticum. . . .	„ Cantharidum.
„ „ Ph. Austr.	„ Mezerei.
„ ex Tartaro stibiato.	„ Tartari stibiati.
„ ex uvis album. . .	Ceratum Cetacei.
„ „ rubrum. . .	„ „ rubrum.
„ fuscum.	Emplastrum fuscum.
„ Gemmarum Populi.	Unguentum Populi.
„ Hydrargyri amidato-bichlorati.	„ Hydrargyri album.
„ „ mitius. .	„ „ cinereum.
„ „ nitrici. .	„ „ citrinum.
„ irritans.	„ Cantharidum.
„ Kali hydrojodinici. .	„ Kalii jodati.
„ labiale rubrum. . .	Ceratum Cetacei rubrum.
„ laurino-camphorat. „ laurinum.	Unguentum Rosmarini.
„ leniens.	„ emolliens.
„ mercuriale.	„ Hydrargyri cinereum.
„ „ album. .	„ „ album.
„ „ citrinum. .	„ „ citrinum.
„ „ fortius. .	„ „ fortius.
„ „ mitius. .	„ „ mitius.
„ „ rubrum.	„ „ rubrum.
„ „ Werlhofii. „ mundificans Zelleri.	„ „ album.
„ Neapolitanum. . .	„ „ cinereum.
„ nervinum.	„ Rosmarini.
„ nitratis Hydrargyri.	„ Hydrargyri citrinum.
„ nutritum.	„ Plumbi.
„ ophthalmicum rubr. .	„ Hydrargyri rubrum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Unguentum Plumbi acetici. . .	Unguentum Plumbi.
„ „ scytodepsici.	Plumbum tannicum pultiforme.
„ pomadinum. . . .	Unguentum rosatum.
„ quercinum. . . .	Plumbum tannicum pultiforme.
„ Resinae Pini. . . .	Unguentum flavum.
„ rubefaciens. . . .	„ Mezerei.
„ saturninum. . . .	„ Plumbi.
„ simplex.	„ cereum.
„ stibiatum. } „ Stibio-Kali tartar. }	„ Tartari stibiati.
„ Subcarbonat. Plumbi.	„ Cerussae.
„ Tartari emetici. . .	„ Tartari stibiati.
„ Terebinth. Ph. Hamb.	„ Elemi.
„ „ compositum.	„ Terebinthinae.
„ „ resinosum. .	„ basilicum.
„ vesicatorium. . . .	„ Cantharidum.
Venus.	Cuprum.
Vinum Antimonii (Huxhami). .	Vinum stibiatum.
„ Aurantiorum composit. .	Elixir Aurantiorum compositum.
„ Colchici seminis. . . .	Tinctura Colchici vinosa.
„ emeticum.	Vinum stibiatum.
„ Opii aromaticum. } „ „ crocatum. } . . „ „ paregoricum }	Tinctura Opii crocata.
„ Rhei.	„ Rhei vinosa.
„ Stibio-Kali tartarici. .	Vinum stibiatum.
Viride Aeris.	Aerugo.
Vitriolum album.	Zincum sulphuricum.
„ caeruleum. } „ Cupri. } . . .	Cuprum sulphuricum.
„ Ferri s. Martis. . .	Ferrum sulphuricum.
„ Veneris.	Cuprum sulphuricum.
„ viride.	Ferrum sulphuricum.
„ Zinci.	Zincum sulphuricum.
Zincum Borussicum.	„ ferro-cyanatum.

Nomina alias usitata.	Nomina in hoc libro usitata.
Zincum cyanatum cum Ferro. .	Zincum ferro-cyanatum.
„ „ sine Ferro. .	„ cyanatum.
„ ferro-cyanicum.	„ ferro-cyanatum.
„ ferroso-hydrocyanicum.	
„ hydrochloricum. . . .	„ chloratum.
„ hydrocyanicum Ph. Austr.	„ cyanatum.
„ „ Ph. Hann. .	„ ferro-cyanatum.
„ „ sine ferro.	„ cyanatum.
„ „ oxydatum.	
„ muriaticum oxydatum. .	„ chloratum.
„ zooticum.	„ ferro-cyanatum.
Zingiber album.	Rhizoma Zingiberis.

Index Nominum.

